



VE RI
TAS

M. CAELII RUFI

ET

M. TULLII CICERONIS

EPISTOLAE MUTUAE

TEMPORIS ORDINE DISPOSITAE.

Illud tamen ego velim, in Epistolarum Scriptoribus semper responsorias adiungi; ita rectius de omnibus iudicaremus. Velim et tempora Epistolarum sollicite adnotari -- unde multum lucis historiae accedit.

MORHOF. *Polyh. L.* 1. *c.* 23. §. 5. *sq.*

Dici vix potest, quantum ad singulas epistolas recte intelligendas conferat, si eas illo ipso ordine, quo sese excipiunt, legeris.

ORELL. *Onom. Tull. P. III. p.* 441.

M. CAELII RUFI

ET

M. TULLII CICERONIS

EPISTOLAE MUTUAE.

AD TEMPORIS ORDINEM DISPOSUIT, VARIETATE
LECTIONIS, ET ANNOTATIONE INSTRUXIT


W. H. D. Suringar,

Phil. Theor. Magister, Lit. Hum. Doctor,
Gymnasii Leidensis Prorector.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud S. & I. LUCHTMANS.

1846.


HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

M. CAELII RUFI

ET

M. TULLII CICERONIS

EPISTOLAE MUTUAE.

EPISTOLA I.
(ad Fam. VIII. 1.)

Argumentum.

Ciceronem in provinciam Ciliciam proconsulem profectum Ser. Sulpicio M. Marcello coss. (a. U. C. 703. a. C. N. 51.) certiorem facit Caelius de rebus urbanis, quemadmodum ei pollicitus erat se facturum. Iam vero mittens primum commentarium rerum urbanarum (quales deinceps plures misit, certe secundum et tertium Cf. Ep. II. 4 et XVII. 6.), ut arrogantiae culpam vitet, excusat se, quod hunc aliena opera conficiendum curaverit; sed maiora se ipsum diligenter perscripturum ostendit §. 1. Deinde subiungit haec: de comitiis Transpadanorum esse rumorem; de successione autem Galliarum nihil relatum §. 2. de Pompeio cupere se aliquid cognoscere §. 3. de Caesare varia dissipari §. 4. Addit denique quaedam de Q. Pompeio et Planco Bursa §. 5. ac de politicis Ciceronis libris §. 6.

Haec Epistola, quam Caelius, ut omnes reliquas, Roma ad Ciceronem misit, scripta est post IX. Kal. Iun. sed tamen ante Kal. Iun. quia ait §. 5. *te a. d.* IX. *Kal. Iun. subrostrani*

dissiparant perisse, et §. 2. *Marcellus, quod adhuc nihil retulit de successione provinciarum, et in Kal. Iun. eam distulit relationem.*

Caelius Ciceroni S.

1. Quod tibi decedens [1] pollicitus sum me omnes res urbanas diligentissime tibi perscripturum, data opera paravi, qui sic omnia persequeretur, ut verear, ne tibi nimium arguta [2] haec sedulitas videatur. Tametsi tu, scio, quam sis curiosus et quam omnibus peregrinantibus gratum sit minimarum quoque rerum, quae domi gerantur, fieri certiores; tamen in hoc te deprecor [3], ne meum hoc officium arrogantiae condemnes, quod hunc laborem alteri delegavi: non quin mihi suavissimum sit et occupato et ad literas scribendas, ut tu nosti, pigerrimo tuae memoriae dare operam; sed ipsum [4] volumen, quod tibi misi, facile, ut ego arbitror, me excusat. Nescio cuius [5] otii esset non modo perscribere haec, sed omnino animadvertere: omnia enim sunt ibi senatus consulta, edicta, fabulae, rumores: quod exemplum si forte minus te delectarit, ne molestiam tibi cum impensa mea exhibeam, fac me certiorem. Si quid in re publica maius actum erit, quod isti operarii minus commode persequi possint, et quemadmodum actum sit et quae existimatio secuta [6] quaeque de eo spes sit [7], diligenter tibi perscribemus.

Apparatus Orellianus. (1) ∾ *decedenti* Margo Crat. Manut. Lamb. Ern. Sch. — *discedens* malebat Lall. (2) — *arguta nimium* Crat. (3) — *tamen hoc depr.* Graev. (4) — *sed id ipsum* Graev. (5) = *quoius* Md. Vict. 2. Graev. Bened. (6) — *consecuta* Crat. Lamb. (7) Sic Ern. Sch. — *est* Md. Crat. Vict. 1 et 2. Graev. Bened. — del. verbum Lamb.

2. Ut nunc est, nulla magno opere exspectatio est. Nam et illi rumores de comitiis Transpadanorum Cumarum tenus caluerunt: Romam quum venissem, ne tenuissimam quidem auditionem de ea re accepi. Praeterea Marcellus, quod[1] adhuc nihil retulit de successione provinciarum[2] Galliarum et[3] in Kalendas Iunias, ut mihi ipse dixit, eam distulit relationem, sanequam eos sermones expressit[4], qui de eo tum fuerant[5], quum Romae nos essemus.

3. Tu si Pompeium, ut volebas, offendisti: qui tibi visus sit et quam orationem habuerit tecum quamque ostenderit voluntatem — solet enim aliud sentire et loqui neque tantum[6] valere ingenio, ut non appareat, quid[7] cupiat: — fac mihi perscribas.

4. Quod ad Caesarem[8], crebri et non belli de eo rumores, sed susurratores dumtaxat, veniunt: alius equitem perdidisse, quod, opinor, certe factum est[9]; alius septimanam legionem vapulasse; ipsum apud Bellovacos circumsederi, interclusum ab reliquo exercitu: neque adhuc certi quidquam est, neque haec incerta tamen[10] vulgo iactantur: sed inter paucos, quos tu nosti, palam[11] secreto narrantur: at Domitius, quum manus ad os apposuit.

5. Te a. d. IX. Kal. Iunias subrostrani, (quod

(1) — *Marc. quidem* Crat. Lamb. (2) — v. *provinc.* Ern. [ ]. — del. Sch. (3) — om. *et* Crat. Lamb. (4) — *repressit* Lamb. (5) — *fuerunt* Ern. Sch. (6) — *neque tamen tantum* Neap. Lamb. (7) — *app.*, *ut quid* Md. (8) — *ad C. attinet* Neap. Lamb. (9) — *esse* Neap. Antiq. Lamb. — om. *est* Crat. (∾ *fictum* Henr. Steph. susp.) (10) — *incerta quidem tamen* Crat. — del. *tamen* Graev. (11) — *plane* Crat. Vict. 2. Lamb.

illorum capiti sit[1]!) dissiparant perisse: unde [in] urbe[2] ac foro toto maximus rumor fuit te a Q. Pompeio[3] in itinere occisum. Ego, qui scirem, Q. Pompeium Baulis embaeneticam[4] facere et usque eo, ut ego misererer[5] eius esuriei[6], non sum commotus et hoc mendacio, si qua pericula tibi impenderent, ut defungeremur, optavi. Plancus quidem tuus Ravennae est: et magno congiario donatus a Caesare nec beatus nec bene instructus est.

6. Tui politici libri omnibus vigent.

---

(1) — *sint* Md. corruptum ex *siet*. (2) Sic scripsi, etsi alia quoque excogitari poterant, v. c. *igitur eo die in urbe; igitur postridie in urbe*. Scil. — *perisse ur de urbe* Md. — *ita ut in urbe* Vict. 1 et 2. Lamb. Ern. Sch. — *et te urbe* Graev. Bened. (Graevius tamen volebat: — *et te in urbe*.) (3) Sic Vict. 1. — *fuit atque Pompeio* Md. — *fuit*, *a Q. P.* Graev. Bened. — *fuerit*, *te a Q. P.* Vict. 2. Lamb. Ern. Sch. (4) ∾ *emeticam* Sch. 2. [» ut significetur, Q. Pompeium solitum esse *quotidie eiiciendo vomandi facultatem moliri*, ut cum Celso loquar I. 3. Sic Caesar *ἐμετικὴν agebat* ad Att. XIII. 52. 1. largius edendo vomendi necessitatem arcessens.''] optima videtur inter Є. adhuc propositas; probatur etiam Passovio in Lex. gr. *ἐμετικός*. (— *scoenobaticam* Crat.) (5) — *miserer* Crat. (6) = *esurie* Vict. 2. Bened. — *esurire* Md

EPISTOLA II.
(ad Fam. VIII. 2.)

Argumentum.

Caelius secundum commentarium rerum urbanarum mittens, iterum Ciceronem certiorem facit de rebus quae in urbe agerentur. Scilicet M. Valerium Messalam, qui a. 701. de ambitu accusatus, sed absolutus, cum Cn. Domitio Calvino consul fuerat, ex interregno creatus (Cf. ad Q. Fr. III. 8. 3. Dio Cassius XL. 17.) rursus eodem crimine in iudicium vocatum, incolumem evasisse defendente Hortensio (Cf. Brut. c. 96. 328. Valer. Max. V. 9.). Quod quum nemo exspectasset, sed omnes indigne tulissent, Hortensium dicit postridie in theatro esse exsibilatum §. 1. Addit pauca de re publica: Marcelli impetus resedisse et de comitiis rem esse incertam §. 2. Tum indicat suos in Aedilitate competitores, mandatque ut, si Aedilis creatus fuerit, sibi curet pantheras §. 3. Denique syngrapham Sittianam ei commendat §. 4.

Haec et sequens Epistola videtur iam scripta esse mense Iunio; nam in Ep. V., quae scripta est Kal. Sext., dicit §. 3. se *maiore intervallo* literas non misisse.

Caelius Ciceroni S.

1. Certe, inquam, absolutus est; me in re praesenti[1] pronuntiatum est, et quidem omnibus ordinibus et singulis[2] in unoquoque ordine sententiis.

---

(1) Sic de Gronovii Є. dedi. (non, ut ait Sch., coniecit is, *me in re praesente:* quasi vero verba sic construenda essent: -- *me praesente in re;* quum sit *ἐμοῦ ὄντος in re praesenti* vel, quod idem est, *praesente.* Sed forma *praesenti* constans videtur, cfr. praeter exempla Forcelliniana, *Inscriptt.* meas *Latinas* N. 3671. CVM ITAQVE ET IN RE PRAESENTI SAEPIVS FVERIM cet.) — *me repraesentante* Md. Crat. Vict. 1 et 2. Graev. Bened. — *me praesente* de Rutilii Є. Lamb. Ern. Sch. Sed hoc vix corrupissent librarii. (2) — *set* (sic) *singulis* Vict. 2. — *sed et sing.* Crat. Lamb.

Vide modo; inquis. Non, mehercules. Nihil unquam enim[1] tam praeter opinionem, tam quod videretur omnibus indignum, accidit. Quin ego, quum pro amicitia validissime faverem ei et me iam ad dolendum praeparassem: postquam factum est, obstupui[2] et mihi visus sum captus esse. Quid alios putas? Clamoribus scilicet maximis iudices corripuerunt et ostenderunt plane esse, quod ferri non posset. Itaque relictus lege Licinia[3], maiore esse periculo[4] videtur. Accessit huc, quod postridie eius absolutionem[5] in theatrum Curionis Hortensius introiit, puto ut suum gaudium gauderemus. Hic tibi

Strepitus, fremitus, clamor tonitruum et rudentum sibilus[6].

Hoc magis animadversum est, quod intactus a sibilo[7] pervenerat Hortensius ad senectutem: sed tum[8] ita bene, ut in totam vitam cuivis[9] satis esset et poeniteret eum iam vicisse.

2. De re publica quod[10] tibi scribam, nihil habeo. Marcelli impetus resederunt, non inertia, sed — ut mihi videbatur — consilio. De comitiis consularibus incertissima est existimatio.

3. Ego incidi in competitorem nobilem et nobilem agentem[11]: nam M. Octavius, Cn. F. et C.

(1) Sic Md. Vict. 1 et 2. — *nihil enim unquam* Cett., praeter Lamb., qui: — *mehercules, quidquam unquam.* (2) = *obstipui* Md. Vict. 1 et 2. (3) ∾ *legi Liciniae* Ern. susp. (4) — *esse in per.* Lamb. (5) — *absolutionis* Crat. Lamb. (6) In Vict. 1. est *sibilis*, nec ulla varietas mihi notatur e Md. Hinc facere liceret *sibili.* — *rudentisibilus* Lamb. (7) = *ab sib.* Graev. Bened. contra Md. (8) — *sed tota* Md. ∾ *sed tum tam* Bened. susp. (9) (— *quovis* Md.) = *quoivis* Vict. 1 et 2. Graev. Bened. — *quamvis* Crat. (10) Sic Lamb. Ern. Bened. Sch. — *quid* Cett. cum Md. (11) — *et ignobilem egentem* Crat.

Hirrus mecum petit. Hoc ideo scripsi, quod scio te acriter propter Hirrum nuntium nostrorum comitiorum exspectaturum. Tu tamen simul ac me designatum audieris, ut tibi curae sit, quod *ad* pantheras[1] attinet, rogo.

4. Syngrapham Sittianam tibi commendo. Commentarium rerum urbanarum primum dedi L. Castrinio Paeto: secundum ei, qui has literas tibi dedit[2].

---

(1) — *quod panth.* Md. Bened. contra Caelii usum. cfr. *Ep.* 4. §. 3. [h. Edit. *Ep.* V. §. 3. »*quod ad Hirrum attinet.*"] (2) — *reddet. Vale.* Crat. Lamb.

EPISTOLA III.
(ad Fam. VIII. 3.)

Argumentum.

Caelius, etsi nondum responsum accepisset a Cicerone ad superiores Epistolas cum commentariis missas, tertio iam scribens, asserit suam in scribendo assiduitatem; ad quod officium ostendit se Ciceronis desiderio excitari §. 1. Deinde ad negotia sermonem convertit: scilicet se certiorem Hirro candidatum esse §. 2. et Philotimum absenti Miloni satisfacturum §. 3. Tandem suam cum Cicerone amicitiam aliquo illius libro posteris prodi cupit §. 4.

Videtur scripta esse paulo post superiorem, mense Iunio.

Caelius Ciceroni S.

1. Estne? vici? et tibi saepe, quod negaras[1] discedens curaturum tibi[2], literas mitto? Est, si quidem perferuntur, quas do. Atque hoc ego[3] diligentius factito, quod quum otiosus sum, plane, ubi delectem otiolum meum, non habeo. Tu[4] quum Romae eras, hoc mihi certum[5] ac iucundissimum vacanti negotium erat, tecum id otii tempus consumere: idque non mediocriter desidero; ut mihi non modo[6] solus esse, sed Romae, te profecto, solitudo videatur facta: et qui — quae mea negligentia est — multos saepe dies ad te, quum hic eras, non accedebam, nunc quotidie non esse te, ad quem cursitem, discrucior.

---

(1) — *quod me neg.* Lamb. (2) — om. *tibi* Neap. Crat. Lamb. (3) Sic Md. Bened. *hoc* est ablat., ut in Ep. super. *hoc magis animadversum est.* — [illegible] Cett. (4) — *Tum* Lamb. (5) — *certissimum* Lamb. [illegible]ned. — *ut non modo mihi* Cett.

2. Maxime vero, ut te dies noctesque quaeram, competitor Hirrus curat. Quomodo illum putas auguratus tuum competitorem dolere et dissimulare me certiorem, quam se, candidatum[1]? de quo, ut, quem optas, quam primum nuntium accipias, tua medius fidius magis, quam mea causa cupio. Nam mea, si fio, forsitan[2] cum locupletiore referam[3]: sed hoc usque eo suave est, ut si[4] acciderit, tota vita risus nobis deesse non possit[5]. Sed tanti? Sed, mehercules[6]. Non multum M. Octavius eorum[7] odia, quae Hirrum[8] premunt, quae permulta sunt, sublevat.

3. Quod ad Philotimi liberti officium et bona Milonis attinet: dedimus operam, ut et Philotimus quam honestissime Miloni absenti eiusque necessariis satisfaceret, et secundum eius fidem et sedulitatem existimatio tua conservaretur.

4. Illud nunc a te peto, si eris, ut spero, otiosus, aliquod[9] ad nos, ut intelligamus nos tibi curae esse, σύνταγμα conscribas. Qui[10] tibi istuc, inquis, in mentem venit, homini non inepto? Aliquid[11] ex tam multis tuis monumentis exstare, quod

---

(1) — *se incertiorem, quam me c.* Margo Crat. (2) — *si fio, si fors.* Md. (3) —*feram* Ern. susp. —*fors. non locupletiora ref.* Lamb. (4) Sic Vict. 2. Lamb. Bened. Luen. — *sed si* Md. — *quod si* Crat. Vict. 1. Graev. Ern. Sch. (5) Sic Md. Vict. 2. Lamb. Ern. Bened. Sch. —*poterit* Crat. Vict. 1. Graev. (6) Sic Md. Vict. 2 (qui sic distinguit: *Sed tanti? sed mehercules non multum. M. Octavius* –) Graev. Bened. Weiske. — *Est tanti? Sed mehercule non m.* Lamb. — *Sed tanti mehercule. Non multum M. O.* Vict. 1. Ern. Sch. (7) — del. *eorum* censebat Ern. (8) ∾ *qui Hirrum* Crat. Lamb. Graev. Beng. (9) — *aliquid* Md. Vict. 1 et 2. (10) — *quid* Md. Crat. Vict. 1. (11) ∾ *aliquod* Lamb.

nostrae amicitiae memoriam posteris quoque prodat. Cuiusmodi velim, puto[1], quaeris. Tu citius[2], qui omnem nosti disciplinam, quod[3] maxime convenit[4], excogitabis. Genere[5] tamen, quod et ad nos pertineat[6] et *διδασκαλίαν* quandam, ut versetur inter manus, habeat.

---

(1) — *prodat, velim. Cuiusmodi, puto* Vict. 2. Lamb. contra Md. (2) — *Tu aptius* Crat. Lamb. (3) — *quod* scil. monumentum. Sic Md. Crat. Vict. 1 et 2. Lamb. Graev. Bened. ∾ *quid* Ern. Sch. (4) Sic Md. Crat. Vict. 1 et 2. Bened. Puto leg. ∾ *conveniet.* ∾ *conveniat* Lamb. Graev. Ern. Sch. Sed hoc vix corruptum esset. (5) — *Ex eo genere* Lamb. (6) Sic Crat. Lamb. Graev. Ern. Sch. — *quod et nos pert.* Md. — *quod ad nos p.* Vict. 1 et 2. Bened.

EPISTOLA IV.
(ad Fam. II. 8.)

Argumentum.

Acceptis Caelii literis et cum literis commentario rerum urbanarum (Cf. Ep. I. 1. et II. 4.), in quem omnia, sine delectu, operarius nescio qui, a Caelio conductus, retulerat, ineptam Cicero sedulitatem reprehendit in colligendis levissimis rebus, quae ipsum nihil adficiebant; monetque Caelium ut severiores res, et quem statum putet rei publicae futurum esse, perscribat §. 1. Tum de sermonibus cum Pompeio habitis, quod Caelius quaesierat (Cf. Ep. I. 3.) cum Pompeii laude respondet; eique ut se Caelius det, hortatur §. 2. Addit de suo in provinciam itinere §. 3. Clausula commendatio est rerum suarum; in quibus hoc praecipue petit ut curet, ne sibi annuum provinciae tempus prorogetur §. 4.

Scripsit Cicero hanc Epistolam prid. Non. Quint. Athenis proficiscens; ut ex ipsa Epistola apparet §. 3.

M. Cicero Procos. S. D. M. Caelio.

1. *Quid? tu me hoc tibi mandasse existimas, ut mihi gladiatorum compositiones, ut vadimonia dilata et Chresti compilationem mitteres et ea, quae nobis, quum Romae sumus, narrare nemo audeat? Vide, quantum tibi meo iudicio tribuam! nec mehercule*[2] *iniuria: πολιτικώτερον enim te adhuc neminem cognovi*[3]. *Ne illa quidem curo mihi scribas, quae maximis in rebus rei publicae geruntur quotidie, nisi quid ad me ipsum pertinebit. Scribent alii: multi nuntiabunt: perferet multa etiam ipse rumor. Quare*

---

(1) — *ut* Lamb. Mart-Lag. contra Md. (2) — *mercule* Md. Vict. 2. hic et alibi. Semel noto. (3) — *cog. nem.* Mart-Lag. contra Md.

dissiparant perisse, et §. 2. *Marcellus, quod adhuc nihil retulit de successione provinciarum, et in Kal. Iun. eam distulit relationem.*

Caelius Ciceroni S.

1. Quod tibi decedens[1] pollicitus sum me omnes res urbanas diligentissime tibi perscripturum, data opera paravi, qui sic omnia persequeretur, ut verear, ne tibi nimium arguta[2] haec sedulitas videatur. Tametsi tu, scio, quam sis curiosus et quam omnibus peregrinantibus gratum sit minimarum quoque rerum, quae domi gerantur, fieri certiores; tamen in hoc te deprecor[3], ne meum hoc officium arrogantiae condemnes, quod hunc laborem alteri delegavi: non quin mihi suavissimum sit et occupato et ad literas scribendas, ut tu nosti, pigerrimo tuae memoriae dare operam; sed ipsum[4] volumen, quod tibi misi, facile, ut ego arbitror, me excusat. Nescio cuius[5] otii esset non modo perscribere haec, sed omnino animadvertere: omnia enim sunt ibi senatus consulta, edicta, fabulae, rumores: quod exemplum si forte minus te delectarit, ne molestiam tibi cum impensa mea exhibeam, fac me certiorem. Si quid in re publica maius actum erit, quod isti operarii minus commode persequi possint, et quemadmodum actum sit et quae existimatio secuta[6] quaeque de eo spes sit[7], diligenter tibi perscribemus.

Apparatus Obellianus. (1) ∾ *decedenti* Margo Crat. Manut. Lamb. Ern. Sch. — *discedens* malebat Lall. (2) — *arguta nimium* Crat. (3) — *tamen hoc depr.* Graev. (4) — *sed id ipsum* Graev. (5) = *quoius* Md. Vict. 2. Graev. Bened. (6) — *consecuta* Crat. Lamb. (7) Sic Ern. Sch. — *est* Md. Crat. Vict. 1 et 2. Graev. Bened. — del. verbum Lamb.

2. Ut nunc est, nulla magno opere exspectatio est. Nam et illi rumores de comitiis Transpadanorum Cumarum tenus caluerunt: Romam quum venissem, ne tenuissimam quidem auditionem de ea re accepi. Praeterea Marcellus, quod [1] adhuc nihil retulit de successione provinciarum [2] Galliarum et [3] in Kalendas Iunias, ut mihi ipse dixit, eam distulit relationem, sanequam eos sermones expressit [4], qui de eo tum fuerant [5], quum Romae nos essemus.

3. Tu si Pompeium, ut volebas, offendisti: qui tibi visus sit et quam orationem habuerit tecum quamque ostenderit voluntatem — solet enim aliud sentire et loqui neque tantum [6] valere ingenio, ut non appareat, quid [7] cupiat: — fac mihi perscribas.

4. Quod ad Caesarem [8], crebri et non belli de eo rumores, sed susurratores dumtaxat, veniunt: alius equitem perdidisse, quod, opinor, certe factum est [9]; alius septimanam legionem vapulasse; ipsum apud Bellovacos circumsederi, interclusum ab reliquo exercitu: neque adhuc certi quidquam est, neque haec incerta tamen [10] vulgo iactantur: sed inter paucos, quos tu nosti, palam [11] secreto narrantur: at Domitius, quum manus ad os apposuit.

5. Te a. d. IX. Kal. Iunias subrostrani, (quod

---

(1) — *Marc. quidem* Crat. Lamb. (2) — v. *provinc.* Ern. [ ]. — del. Sch. (3) — om. *et* Crat. Lamb. (4) — *repressit* Lamb. (5) — *fuerunt* Ern. Sch. (6) — *neque tamen tantum* Neap. Lamb. (7) — *app.*, *ut quid* Md. (8) — *ad C. attinet* Neap. Lamb. (9) — *esse* Neap. Antiq. Lamb. — om. *est* Crat. (∾ *fictum* Henr. Steph. susp.) (10) — *incerta quidem tamen* Crat. — del. *tamen* Graev. (11) — *plane* Crat. Vict. 2. Lamb.

opinione descenderat! quam ipso diffidente Dolabella! Et, hercules, nisi nostri equites acutius[1] vidissent, paene concedente adversario superasset.

2. Illud te non arbitror miratum, Servium, designatum tribunum plebi[2], condemnatum: cuius [*in*] locum[3] C. Curio petiit. Sanequam incutit multis, qui eum facilitatemque eius non norunt, magnum metum: sed, ut spero et volo et ut se fert ipse, bonos et senatum malet[4]: totus, ut nunc est, hoc scaturit[5]. Huius autem[6] voluntatis initium et causa est[7], quod eum non mediocriter Caesar, qui solet infimorum hominum amicitiam[8] sibi qualibet impensa adiungere, valde contempsit. Qua in re mihi videtur illud perquam venuste cecidisse; quod a reliquis quoque usque eo est animadversum, ut Curio, qui nihil consilio facit, ratione et insidiis usus videretur in evitandis iis[9] consiliis, qui se intenderant adversarios in eius tribunatum: Laelios[10] et Antonios et id genus valentes dico.

3. Has ego tibi literas eo maiore misi intervallo, quod comitiorum dilationes occupatiorem me habebant et exspectare in dies exitum cogebant, ut, confectis omnibus, te facerem certiorem. Ad Kalendas Sextiles usque exspectavi. Praetoriis morae

(1) — *nisi nostrisque acutius* Md. (2) — *trib. pl. des.* Neap. Antiq. Crat. Lamb. (3) Sic Markland *Remarks* p. 62. 2. — *cuius locum* Cett. cum Md. (4) — *mallet* Bened. (5) — *hic senaturit* Lamb. (6) Sic Md. Crat. Vict. 1 et 2. Lamb. Graev. — om. *autem* Neap. Antiq. Ern. Bened. Sch. (7) Sic Vict. 2. Lamb. Graev. Ern. Sch. — *causam est* Md. — *causa inest* Crat. Vict. 1. Bened. (8) Sic Md. Vict. 2. — *amicitias* Cett. (9) Sic Md. Vict. 1 et 2. Bened. ∾ del. *iis* Graev. — *eorum* Crat. (ante Manutium.) Ern. Sch. (— *ratione et consiliis u. v. in ev. eorum insidiis* Lamb.) (10) ∾ *Lollios* de Man. Є. prob. Lamb. Sch.

quaedam inciderunt. Mea porro comitia[1] quem eventum sint habitura, nescio: opinionem quidem, quod ad Hirrum attinet, incredibilem aedilium pl. comitiis nacta sunt. Nam M. Caelium Vinicianum[2] mentio illa fatua, quam deriseramus olim, et promulgatio de dictatore subito deiecit et deiectum magno clamore insecuta est. Inde Hirrum cuncti iam non[3] faciendum flagitare. Spero te celeriter et de nobis, quod sperasti, et de illo, quod vix sperare ausus es, auditurum.

4. De re publica iam novi quidquam exspectare desieramus: sed quum senatus habitus esset ad Apollinis a. d. XI. Kalend. Sext. et referretur de stipendio Cn. Pompeii, mentio facta est de legione ea, quam expensam tulit C. Caesari Pompeius, quo numero esset, quo appeteretur[4]. Quum Pompeius: «esse in Gallia:" coactus est dicere Pompeius[5], «se legionem abducturum, sed non statim sub mentionem et convicium obtrectatorum:" inde interrogatus [*est*[6]] de successione C. Caesaris: de qua, hoc est, de provinciis[7], placitum est, ut quam primum[8] ad urbem reverteretur Cn. Pompeius, ut

(1) — del. *comitia* Lamb. (2) — *Vicinianum* Md. Neap. Antiq. Crat. Vict. 1 et 2. Lamb. cfr. *Script. de Bello Alex.* c. 77. (3) Sic Vict. 2. Graev. Rost *Spec.* 2, p. 8. — *cuncti an non* Md. Vict. 1. Ern. — *cuncti non* Sch. — *cuncti iam ad non* Lamb. — *cuncti ad non* C1d. Reg. Crat. Lall. Bened. (4) — *quo appellaretur* Lamb. (5) Sic Md. Neap. Bened. Facile careremus altero v. *Pompeius*, quod omittit Neap. Sed ex Caelii stilo significare videtur: »coactus est dicere ipse ille homo superbus." — *quum ex Gallia coactus esset* (*est* Vict. 2.) *dicere Pompeius*, violentâ ∈. Ceteri. (6) Addidi *est* cum Lamb. et Sch. (7) — v. *hoc est*, *de pr.* Ern. [ ]. — del. Sch. (8) — *quum* Vict. 1. contra Md.

coram eo de successione provinciarum ageretur. Nam Ariminum ad exercitum Pompeius erat iturus: et statim iit. Puto[1] Idib. Sextil. de ea re actum[2] iri. Profecto aut transigetur aliquid, aut turpiter intercedetur[3]. Nam in disputando coniecit illam vocem Cn. Pompeius: «Omnes oportere senatui dicto audientes esse." Ego tamen sic nihil exspecto, quomodo Paullum, consulem designatum, primum sententiam dicentem.

5. Saepius te admoneo de syngrapha Sittiana: cupio enim te intelligere eam rem ad me valde pertinere. Item de pantheris, ut Cibyratas arcessas[4] curesque, ut mi vehantur[5]. 6. Praeterea nuntiatum nobis et pro certo iam habetur, regem Alexandrinum mortuum. Quid[6] mihi suadeas, quomodo regnum illud se[7] habeat, quis procuret, diligenter mihi perscribas. K. Sext.[8]

(1) — *et statim*, *ut puto* Bened. (2) Sic Lamb. Ern. Sch. — *factum* Ceteri cum Md. (3) Sic Crat. Vict. 2. Lamb. Ern. Sch. — *transigeretur* -- *intercederetur* Md. Vict. 1. Graev. Bened. (4) = *Ciburatas accersas* Md. Vict. 2. (5) Sic Md. Vict. 1 et 2. Bened. — *mihi ut vehantur* Crat. Lamb. — *ut mihi venentur* scil. Cibyratae; ex antiqua, sed inutili Є. Graev. Ern. Sch. (6) — *quidem* Md. Hinc Bened. mire: — *mortuum quidem. Mihi suadeas.* (7) — *sese* Crat. Lamb. (8) — *perscribas*, *velim. Kal. Sextil. Vale.* Lamb.

EPISTOLA VI.
(ad Fam. VIII. 5.)

Argumentum.

Metuere se significat Caelius ex Parthici belli fama, ob paucitatem copiarum Ciceronis — cui quidem tantum belli optat, quo triumphum consequi possit —; eo etiam magis quod nemo eius rei rationem habeat §. 1. et quod non facile successorem sit habiturus, quia frustra de successione provinciarum agatur §. 2. De re publica nihil novi accidisse dicit et Marcellum nondum frequentem senatum potuisse efficere §. 3.

Haec Epistola quo die scripta sit, non indicatum est: sed videtur superiorem proximam paucis diebus consecuta; certe ante Idus Sextil. de quibus Cf. Ep. V. 4. VII. 2.

Caelius Ciceroni S.

1. Qua tu cura sis, quod ad pacem provinciae tuae finitimarumque regionum attinet, nescio: ego quidem vehementer animi pendeo. Nam si hoc † more [1] moderari possemus, ut pro viribus copiarum tuarum belli quoque exsisteret magnitudo et, quantum gloriae triumphoque opus esset, assequeremur, periculosam [2] et gravem illam dimicationem evitaremus: nihil tam esset optandum. Nunc si Parthus movet aliquid, scio non mediocrem fore contentionem: tuus porro exercitus vix unum saltum tueri potest. Hanc autem nemo ducit rationem: sed omnia desiderantur ab eo, — tamquam nihil

---

(1) Sic Md. Crat. Beng. Bened. — del. *more* Cett. ∾ *hoc modo rem mod.* Beng. et Weiskii susp. (2) Sic Md Neap. Antiq. Crat. Vict. 1 et 2. Bened. — *periculosamque* Lamb. Graev. Ern. Sch.

denegatum sit ei, quo minus quam paratissimus esset — qui publico negotio praepositus est.

2. Accedit huc, quod successionem futuram propter Galliarum controversiam non video. Tametsi hac de re puto te constitutum, quid facturus esses, habere: tamen, quo maturius constitueres, quum hunc eventum providebam[1], visum est, ut te facerem[2] certiorem. Nosti enim haec tralaticia: de Galliis[3] constituetur; erit, qui intercedat; deinde alius exsistet, qui, nisi libere liceat de omnibus provinciis decernere senatui, reliquas impediat. Sic multum ac diu ludetur, atque ita diu, ut plus biennium in his tricis moretur[4].

3. Si quid novi de re publica, quod tibi scriberem, haberem, usus essem mea consuetudine, ut diligenter, et quid actum esset, et quid ex eo futurum sperarem, perscriberem. Sane tamquam in quodam incili[5] iam omnia adhaeserunt. Marcellus idem illud de provinciis urget: neque[6] adhuc frequentem senatum is[7] efficere potuit. Hoc si praeterito anno[8] Curio tribunus et eadem actio de pro-

---

(1) — *praevid.* Lamb. (2) — *est te facere* Lamb. (3) Sic Lamb. Graev. Bened. Sch. — *Gallis* Cett. (4) — *moreretur* Md. — *moremur* Ern. susp. — *mora detur* Bened. susp. (5) de Manut. C. Graev. Ern. Sch. — *in quodam in Cilicia* Md. Antiq. Bened. — *vi quadam in Cilicia* Crat. — *in quodam silice* Vict. 1 et 2. Lamb. (6) — *urget et neque* Md. Neap. Antiq. — *urget*, *sed neque* Crat. Vict. 2. Lamb. Ut nos, Vict. 1. Graev. Ern. Bened. Sch. (7) Sic scripsi. — *frequentem senatis* Md. — om. *is* Cett. praeter Bened., qui pessime: *frequente in senatu is.* (8) Sic Neap. Vict. 2. — *Hoc sic praeterito anno* Md. Crat. Vict. 1. — *Hoc si anno praeterito* Bened. — *Quod si hoc anno praet.* Lamb. Sch. — *Quod si anno praet.* Graev. Ern.

vinciis introibit [1]: quam facile tunc [2] sit omnia impedire et quam hoc Caesari qui sua causa rem publicam non curent [3], † superet [4], non te fallit.

---

(1) Sic Vict. 2. Lamb. Sch. — *introivit*, *ut* Md. Crat. Vict. 1. — *introivit* om. *ut* Graev. Ern. Bened. Sch. ∾ *introierit* om. *ut* Neap. (2) Sic Lamb. Sch. — *nunc* Cett. cum Md. (3) Sic Md. Neap. Antiq. Vict. 2. — *curet* Vict. 1. Graev. Ern. Bened. Sch. (4) Quum et Md. *superet* et Lambini *suppetat* sententiam idoneam nullam praebeat, leg. videtur: ∾ *sperent*: »et quanto opere, haec omnis actio de provinciis ut impediatur, Caesari sperent ii, qui sua causa, (propriae utilitati unice studentes) remp. non curent, non te fallit.'' *curent* certum videtur; nimis enim acerbum iudicium de uno Caesare continet singularis *curet*: verum quidem erat, sed non huius loci. *Sperare* autem *alicui* recte dicitur, ut *metuere*, *timere alicui*. cfr. *ad Att.* 1, 13. *a quo nihil speres boni rei publicae*. (— *Caesari*, *et iis*, *qui sua causa remp. non curent*, *superet*, *te non fallit. Vale.* Neap. — *Caesari*, *et iis*, *qui suam causam*, *non reip.*, *curant*, *suppetat*, *n. te f. Vale.* Lamb.)

EPISTOLA VII.
(ad Fam. VIII. 9.)

Argumentum.

Gloriatur Caelius Aedilem se designatum, Hirrum autem esse repulsum et iam ineptias agere §. 1. De provinciarum successione nihil actum significat §. 2. Denuo scribit de pantheris sibi mittendis et de syngrapha Sittiana §. 3. M. Feridium, negotii causa in Ciliciam profectum, Ciceroni commendat §. 4. Favonium scribit non solum ab infimis hominibus sed etiam ab optimo quoque esse praeteritum §. 5. Addit de Pompeii ac Scipionis in Caesarem animo §. 6. denique de Calidii (Cf. Ep. V. 1.) orationibus §. 7.

Scripta est IV. Non. Septembr. Cf. §. 2.

CAELIUS CICERONI S.

1. Sic tu, inquis, Hirrum tractasti? Immo, si scias, quam facile, quam ne contentionis quidem minimae[1] fuerit, pudeat te ausum illum unquam esse incedere tamquam tuum competitorem. Post repulsam vero risus facit: civem bonum ludit et contra Caesarem sententias dicit; exspectationem corripit: Curionem prorsus Curionem[2] non mediocriter obiurgatus: hac[3] repulsa se mutavit. Praeterea qui nunquam in foro apparuerit, non multum in iudiciis

(1) Sic Md. Crat. Vict. 1 et 2. Ern. Sch. — *minimum* Graev. Bened. — *minimae res* Lamb. (2) Sic Md. Neap. Antiq. Vict. 2. Inest iocus aliquis: *curionem* et maledicum et macilentum significare posse, disces e Forcellino. — *Curionem prorsus non* Cett. (3) Sic Md. Crat. Vict. 1 et 2. Bened. Sch. — *obiurgat*, *hac* Ern. Luen. — *obiurgat ac* Graev. Lall. — *obiurgat; scilicet hac* Lamb. Poterant etiam: *obiurgat*; *sic hac* vel: *obiurgat: totus hac.*

versatus sit, agit causas liberales[1]: sed raro post meridiem.

2. De provinciis, quod tibi scripseram Idibus Sextil. actum iri, interpellat iudicium Marcelli, consulis designati. In Kalend. [*res*] reiecta est[2]; ne frequentiam quidem efficere potuerant[3]. Has literas a. d. IV. Non. Septembr. dedi, quum ad eam diem ne profligatum[4] quidem quidquam erat. Ut video, causa haec integra in proximum annum transferetur: et, quantum divino, relinquendum[5] tibi erit, qui provinciam obtineat. Nam non expeditur successio, quoniam[6] Galliae, quae habent intercessorem, in eandem conditionem, quam ceterae provinciae, vocantur. Hoc mihi non est dubium: quo tibi magis[7] scripsi, ut ad hunc eventum te parares.

3. Fere literis omnibus tibi de pantheris scripsi. Turpe tibi erit Patiscum[8] Curioni decem pantheras misisse, te non multis partibus plures: quas ipsas Curio mihi et alias Africanas decem donavit: ne

---

(1) i. e. parvi momenti, quales sunt liberales causae. Sic Lamb. Graev. Ern. Sch. — *causam liberalis* Md. Vict. 2. Beng. Bened. — *causam liberaliter* Crat. Vict. 1. (2) Sic scripsi. — *in Kal. reiecta est; ne* Md. Antiq. Vict. 2. Bened. — *in Kal. reiectum, ne* Crat. Vict. 1. — *in Kal. reiecta causa est, ne* (Neap.) Lamb. — *in Kal. reiecta re, ne* Graev. Ern. Sch. (3) Sic Md. Neap. Antiq. Vict. 1. Lamb. Bened. Sch. — *potuerunt* Vict. 2. Graev. Ern. — *potuerat* Crat. (4) — *diem promulgatum q. q. esset* om. *ne* Crat. (5) i. e. in medio relinquendum atque ignorandum. Sic Md. Neap. Antiq. Bened. — *relinquendus* Crat. Vict. 1 et 2. Lamb. Graev. Ern. Sch. (6) Sic scripsi. — *quo* cum lin. Md. — *quom* Vict. 2. — *quum* Vict. 1. Graev. Ern. Sch. — *quando* Neap. Antiq. Crat. Lamb. Bened. (7) — *quod tibi eo m.* Lamb. (8) — *Patischum* Md. Vict. 1 et 2. Graev

putes illum tantum praedia rustica dare scire. Tu, si modo memoria tenueris[1], et Cibyratas arcessieris[2] itemque in Pamphyliam literas miseris — nam ibi plures capi aiunt — quod voles efficies. Hoc vehementius laboro nunc, quod seorsus[3] a collega puto mihi omnia paranda. Amabo te, impera tibi hoc. Curare soles libenter[4], ut ego maiorem partem nihil curare. In hoc negotio nulla tua nisi loquendi cura est, hoc est, imperandi et mandandi[5]. Nam, simulatque erunt captae, qui alant eas et deportent, habes eos, quos ad Sittianam syngrapham misi. Puto etiam, si ullam[6] spem mihi literis ostenderis, me isto missurum alios.

4. M. Feridium, equitem Romanum, amici mei filium, bonum et strenuum adolescentem, qui ad suum negotium istuc[7] venit, tibi commendo: et te rogo, ut eum in tuorum numero habeas. Agros, quos fructuarios habent civitates, vult tuo beneficio, quod[8] tibi facile et honestum factu est, immunes esse: gratos et bonos viros tibi obligaris.

5. Nolo te putare Favonium a columnariis praeteritum[9]: optimus quisque eum non fecit.

6. † Pompeius tuus aperte Caesarem et provin-

---

(1) Sic Crat. Lamb. Ern. Sch. — *teneres* Md. Vict. 1 et 2. Graev. Bened. — *teneas* e Codd. Reg. Lall. (2) = *accersieris* Vict. 2. (3) Sic Md. Vict. 2. Bened. = *seorsum* Cett. (4) Sic Md. Recta distinctio est a Graev. optimo; acutissima urbanitate ac prorsus Caeliana. — *impera* (*ibi* Vict. 1.) *tibi; hoc cura. Soles lib.* Crat. Vict. 1 et 2. Lamb. — *impera tibi hoc curae. Soles lib.* Graev. Ern. Bened. Sch. (5) — v. *et mandandi* Ern. [ ]. (6) — *nullam* e Cld. Reg. Lall. (7) = *istoc* Md. (8) An *quoad?* (9) Sic Md. Neap. Antiq. Vict. 1 et 2. Lamb. Bened. — *praet. esse* Crat. Graev. Ern. Sch.

ciam tenere cum exercitu et consulem esse. Ipse tamen[1] hanc sententiam dixit, nullum hoc tempore senatus consultum faciendum: Scipio hanc, ut Kalend. Martiis de provinciis Galliis[2], neu quid coniunctim referretur. Contristavit haec sententia Balbum Cornelium: et scio eum questum[3] esse cum Scipione.

7. Calidius[4] in defensione sua fuit disertissimus, in accusatione satis frigidus[5].

---

(1) Sic dedi cum Beng. in App. — om. *Ipse* Vict. 1 et 2. Graev. — *aperte Caesarem et prov. tenere cum exercitus et consul ipse tamen* Md. Crat. (sed haec: *exercitu.*) — *aperte non vult Caesarem prov. tenere cum exercitu et consulem esse* Lamb. — *aperte Caesarem vetat* (si quid excidit, ac non potius corruptela inest in *aperte* v. c. *aegre fert*, id erit potius *prohibet*, propter similitudinem cum v. *et provinciam*) *et prov. tenere et consulem esse. Tamen* Ern. Sch. — *aperte: Caesarem et provinciam tenere cum exercitu. Sed consul ipse tamen* Bened. (2) — v. *de prov. Galliis* male omittit Cd. Gorl., nam tum *neu* locum non haberet. Ern. [ ]. — del. Sch. (3) — *conquestum* Crat. (4) Sic Md. Neap. Antiq. Crat. Vict. 1 et 2. Lamb. Bened. — *Canidius* Graev. Ern. Sch. (5) — *sane frigidus. Vale.* Lamb.

EPISTOLA VIII.
(ad Fam. VIII. 8.)

Argumentum.

Mirabilia quaedam de iudiciis scribit, maximeque de C. Sempronio calumniae damnato §. 1. et de M. Servilio, ob inscitiam praetoris, neque absoluto neque damnato §. 2. 3. De re publica multis diebus nihil esse actum, exspectatione Galliarum §. 4. tandem vero prid. Kal. Oct. de provinciis facta esse senatus consulta; quorum exempla mittit §. 5. 6. 7. 8. Tum addit Pompeii sententiam de provinciis Caesaris §. 9. Postremo res suas, ut epistolis superioribus, commendat, pantheras et syngrapham Sittianam §. 10.

Scripta videtur initio m. Octobris, fortasse ipsis Kalendis.

M. Caelius M. Ciceroni S. D.

1. Etsi [1] de re publica quae tibi scribam, habeo: tamen nihil, quod [2] magis gavisurum te putem, habeo, quam hoc. Scito, C. Sempronium Rufum, Rufum, mel ac delicias tuas, calumniam maximo plausu tulisse. Quaeris, an causa [3]? M. Tuccium, accusatorem suum, post ludos Romanos reum lege Plotia de vi fecit, hoc consilio, quod videbat, si extraordinarius reus nemo [4] accessisset, sibi hoc anno causam esse dicendam. Dubium porro illi non erat,

(1) — *Etsi multa* Lamb. (2) Sic Md. Vict. 2. Graev. Seqq. — *quo* Neap. Antiq. Crat. Vict. 1. Lamb. (3) Sic Md. Bened. Sane corrupte. Sed in his latet: *Cur? quaeris. Animi causa. Cur* absorptum a *Quaeris* propter antiquam scripturam *Quur; animi* per compendium redactum in *an.* — *quod is in causa* Crat. — *Quaeris, qua in causa?* Ceteri, quod et languidum est, et vix corruptum esset. Animi autem causa, quia ea accusatio petulantissima fuit. (4) — *nemo reus* Neap. Antiq. Crat. Lamb. Tum: = *accidisset* Margo Crat.

quid futurum esset. Nemini hoc deferre munusculum maluit, quam suo accusatori. Itaque sine ullo subscriptore descendit et Tuccium reum fecit. At ego, simul atque audivi, invocatus ad subsellia rei occurro[1]: surgo, neque verbum de re facio: totum Sempronium usque eo perago, ut Vestorium quoque interponam et illam fabulam narrem, quemadmodum tibi pro beneficio dederit, si quod iniuriis suis esset, ut Vestorius teneret[2].

2. Haec quoque magna nunc contentio forum tenet. M. Servilius, postquam, ut coeperat, omnibus in rebus turbarat nec, quod non venderet cuiquam[3], reliquerat maximaeque nobis traditus erat invidiae[4]: neque Laterensis praetor[5], postulante Pausania, nobis patronis, QVO EA PECVNIA PERVENISSET, recipere voluit, quod Pilius, necessarius Attici nostri, de repetundis eum postulavit. Magna illico fama surrexit et de damnatione ferventer loqui est coeptum[6]. Quo vento

(1) ∾ *accurro* Neap. Vict. 2. Lamb. contra Md. (2) In loco obscuro integram dedi lect. Md., qui habet *quod*. — *si quid iniuriis suis esset*, *ut Vest. teneretur* Vict. 1. Graev. Ern. cfr. Rostii *Spec.* 1, p. 14. ∾ *si quid iuris sui esset*, *ut V. teneret* Vict. 2. (Haud male !) itemque Lamb., sed mire: *si quid in iuris sui*. — *si quid in Thuriis suis esset*, *ut V. teneret* de Gronovii Ɛ. Lall. — *si quid iniuriis suis esset*, *quod V. teneret* Bened. — *dederit*, *quod iniuriis suis V. teneret* Sch. (— *si quid iniuriis sui esset*, *quo Nestorius* (sic) *teneretur* Crat.) (3) = *quoiquam* Md. Vict. 2. Graev. Bened. Distinxi cum Vict. 2. Ceteri: *venderet*, *cuiquam*. ∾ *quidquam* Lamb. Sch. (— *ne quod non venderet cuiquam relinqueret* Crat.) (4) Sic scripsi, ut volebat Graevius. — *maximeque n. tr. e. invidiae* Md. Crat. Vict. 1. Graev. Ern. Bened. — *maxima n. tr. e. invidia* Vict. 2. Lamb. Sch. Non est, cur haereamus in duplici dativo: » traditus nobis erat ita, ut maxima nobis invidia conciliaretur.'' Sed adv. *maximeque* h. l. nihil est. (5) — *praetore* Md. Crat. Vict. 1. (6) — *coeptum est* Lamb.

proiicitur Appius minor, ut indicet de pecunia [1], ex bonis patriis [2] pervenisse ad Servilium, praevaricationisque causa [3] diceret depositum HS. LXXXI. Admiraris amentiam: immo si actionem stultissimasque de se, nefarias de patriis confessiones [4] audisses? Mittit in consilium eosdem illos, qui lites aestimarant, iudices. Quum aequo numero sententiae fuissent, Laterensis, leges ignorans, pronuntiavit, quid [5] singuli ordines iudicassent: et ad extremum, ut solent, NON REDIGAM. [6] 3. Postquam discessit et pro absoluto Servilius haberi coeptus [*est*] legisque [7] unum et centesimum caput legit, in quo ita erat: QVOD EORVM IVDICVM [8] MAIOR PARS IVDICARIT, ID IVS RATVMQVE [9] ESTO: in tabulas absolutum non retulit, ordinum iudicia perscripsit: postulante rursus Appio, cum L. Lollio transegit et

---

(1) Sic scripsi. cfr. Bengelii *Appar.* — *ut inpicet depecuniam* (sic) Md. ∾ *ut indicet*, *pecuniam* Vict. 2. Lamb. Graev. Ern. Sch. — *ut implicet pecuniam* Vict. 1. — *ut implicet de pecunia* Crat. — *ut impie de pecunia* Bened. (2) Sic scripsi. — *patris* cum Md. Cett. praeter Lamb., qui vitio recte animadverso, rescripsit: — *paternis*, quo opus non erat. (3) — *causam* Md. Crat. Bened. (4) Sic scripsi. Sententia ultimorum haec est: „si audisses confitentem, nefarie ac fraudulenter se bonis patriis potitum, nefarie iis usum esse ad scelera perpetranda ac libidines explendas.'' — *si actionem stultissimas qui de se nefarias de patris* (sic) *conf.* Md. — *si actionem*, *stultissimasque de se*, *nefarias de patre conf.* Graev. Luen. — *si actionem*, *stultissimasque de se*, *nefarias patris conf.* Bened. Weiske. Utraque lectio in eo peccat, quod patri ipsi scelera apponuntur, quum sermo unice sit de bonis patriis male dissipatis. — *si actiones stultissimas*, *quid si nefarias patris conf.* Vict. 1 et 2. Ern. Sch. — *quid si actiones* (cetera ut Vict. 1 et 2. Ern. Sch.) Lamb. (5) Sic Md. Crat. Vict. 1 et 2. Graev. — *quod* Lamb. Ern. Bened. Sch. (6) — *et ad extremum absolutum*, *ait*, *referam* ex Ursini Cd. Luen. (7) — *coetus legesque* Md. Latet in his aliquid corrupti. *est* addidi cum Lamb. (— *legensque unum et cent. caput legis* optimus Graevii, prob Graevio.) (8) — *iudicium* Crat. Lamb. (9) — *ratum* Crat. Lamb.

se relaturum[1] dixit. Sic nunc neque absolutus neque damnatus Servilius de repetundis saucius Pilio tradetur. Nam de divinatione Appius, quum calumniam iurasset, contendere ausus non est Pilioque cessit: et ipse de pecuniis repetundis a Serviliis est postulatus et praeterea de vi reus a quodam suo emissario, Sex. Tettio, factus[2]. Recte hoc par habet.

4. Quod ad rem publicam pertinet, omnino multis diebus, exspectatione Galliarum, actum nihil est. Aliquando tamen, saepe re dilata et graviter acta et plane perspecta Cn. Pompeii voluntate in eam partem, ut eum decedere post Kalendas Martias placeret, senatus consultum, quod tibi misi, factum est auctoritatesque perscriptae.

5. S. C. AUCTORITAS.

Pridie Kal. Octob. in aede Apollinis scrib. affuerunt L. Domitius Cn. F. Fab. Ahenobarbus, Q. Caecilius Q. F. Fab. Metellus[3] *Pius Scipio, L. Villius*[4] *L. F. Pom. Annalis, C. Septimius T. F. Quirina, C. Lucceius C. F. Pup. Hirrus, C. Scribonius C. F. Pop. Curio, L. Atteius*

(1) Sic Vict. 2. Lamb. Ern. Sch. (Crat. Bened. omittunt *et.*) — *transegisset relaturum* Md. Vict. 1. — *transegisset et se rel.* Graev. (2) Sic Bened. de G. amici Manutii. — *suo emissa rustetio factus* Md. — *suo emissario est factus* Crat. Vict. 1 et 2. — *emissario suo Titio* (*Tettio* Sch.) *factus est* Lamb. Graev. Ern. Sch. (3) Sic scripsi, *Fabia tribu.* Omnium tribus nominari debebant. — *Fabius* bis corrupte Md. — om. *Fab.* utrobique Cett. (4) Sic Graev. Seqq. cfr. Drakenborch ad *Liv.* 40, 44, 1. — *Iulius* Md. Vict. 1 et 2. Lamb., solita corruptela. Mox: — *Septimus* Md. Vict. 1. Lamb.

L. F. An. Capito, M. Eppius[1] *M. F. Terentina*[2].

Quod M. Marcellus consul V. F. de provinciis consularibus, D. E. R. I. C., uti L. Paullus[3], *C. Marcellus COSS., quum magistratum inissent, ex a. d. Kal. Mart.*[4], *quae in suo magistratu futurae essent, de consularibus provinciis ad senatum referrent, neve quid prius ex* [a. d.] *Kal. Mart.*[5] *ad senatum referrent*[6]*; neve quid coniunctim de ea re referretur a consulibus, utique eius rei causa per dies comitiales senatum haberent, S. Q. C. facerent: et, quum de ea re ad senatum referretur a COSS., qui eorum*[7] *in CCC. iudicibus essent,* † *sex adducere*[8] *liceret.*

Si quid de ea re[9] *ad populum plebemve*[10] *lato opus*[11] *esset, uti*[12] *Ser. Sulpicius, M. Marcellus COSS., praetores tribunique pl., quibus eorum videretur, ad populum plebemve*

(1) Sic scripsi ex auctoritate Md. in seq. S. C. [§. 6.] — *M. Oppius* h. l. Md. Cett. (2) *Terentina Sal.* stulta interpol. Md. (3) Per errorem: *C. Paulus* (Md.) Vict. 1. (4) Sic scripsi cum Manutio et Bened. — *a. d. ex X. Kal. Mart.* Md. Vict. 2. — *ad ex Kal. Mart.* Vict. 1. — *a. d. Kal. Mart.* Lamb. — *a. d. X. Kal. Mart.* Ern. — *ex a. d. X. Kal. Mart.* Sch. (5) Sic Lamb. — om. *a. d.* Md. Cett. Male praeterea Graev. Seqq. scribunt: — *ex Kalendis Mart.* (6) Sic Md. Vict. 1 et 2. Bened. — del. v. *ad senatum referrent* Cett. (7) Sic Md. Vict. 1 et 2. Bened. Sch. — *eorum, qui* Lamb. Graev. Ern. (8) Haec corrupta: — *eos adducere* Sch. Scil. Man. volebat: ∾ *eos abducere.* Sed videtur leg.: ∾ *eos ex iudicio abducere.* v. *iudicio* potuit absorberi a similibus ductibus v. *abducere.* (9) Sic Neap. Vict. 2. Lamb. Bened. — *si quid ea re* Md. Crat. Vict. 1. Graev. Ern. — *si quo ea re* Sch. Scil. Graev. volebat: *si qui* (= *quo*) *de ea re.* (10) — *ad plebemve* Graev. Ern. Sch. contra Md. (11) — om. *lato* Crat. Vict. 1. Ex Md. mihi nihil notatur. Fortasse tamen habet, ut Cd. Torgav., qui saepissime eius corruptelas accurate refert: *plebem vel atopus.* (12) = *ut* h. l. Md. Crat. Vict. 1. Lamb.

ferrent[1]*: quod ii*[2] *non tulissent, uti, quicunque deinceps essent, ad populum plebemve ferrent.*

I. N.[3]

6. *Prid. Kal. Octob. in aede Apollinis scrib. affuerunt L. Domitius Cn. F. Fab. Ahenobarbus*[4]*, Q. Metellus*[5] *Q. F. Fab. Metellus Pius Scipio, L. Villius L. F. Pom. Annalis, C. Septimius T. F. Quirina, C. Scribonius C. F. Pop.*[6] *Curio, L. Atteius*[7] *L. F. An. Capito, M. Eppius*[8] *M. F. Terentina.*

Quod M. Marcellus COS. V. F. de provinciis[9]*, D. E. R. I. C. senatum existimare neminem eorum, qui potestatem habent*[10] *intercedendi impediendi, moram afferre oportere, quominus de R. P. P. R. Q.*[11] *ad senatum referri senatique*[12] *consultum fieri possit*[13]*: qui impedierit prohibuerit*[14]*, eum*[15] *senatum existimare*[16] *contra rem publicam fecisse.*

---

(1) Sic Vict. 2. Lamb. Graev. Bened. — *plebemve referrent* ex geminat. Md. Crat. Vict. 1. Ern. Sch. (2) Fortasse: *quod si ii.* (3) Sic Neap. Antiq. i. e. »Intercessit Nemo.'' — *i. u.* (sic) Md. — *L. V.* Vict. 1. Ern. Sch. — *I. V.* Vict. 2. Graev. Bened. — *Senatus auctoritas* cum seqq. iungens Lamb. (4) Rursus tribum *Fab.* restitui, priore loco ex auctor. Md., qui corrupte: — *cn. fab. athenobarbus* (sic.). (5) Sic Md. Vict. 1 et 2. ∾ *Q. Caecilius Q. F. Metellus* Ceteri. (6) — *Pom.* h. l. Md. Vict. 1. (7) — *Atilius* h. l. Md. Vict. 1. (8) Sic Md. admodum probabiliter, cfr. *Script. Bell. Alex.* c. 89. — *M'. Oppius* Cett. Paullo ante *Iulius* rursus pro *Villius*, Md. Crat. Vict. 1 et 2. (9) Sic Vict. 2. Seqq. — *cos. ut de prov.* Md. — *cos. de prov.* Vict. 1. (10) — *habeant* Ern. Є. Sch. (11) Sic scripsi ex formula servata apud Varronem (*L. L.* 6, 9. p. 263. *Speng.*) i. e. *de republica Populi Romani Quiritium.* — *de repub. Q. P.* Md. Crat. Vict. 1 et 2. Graev. Bened. — *de repub.* om. *Q. P.* Ern. Sch. — *de rep. quamprimum* Lamb. (12) = *senatusque* Crat. = *S. Q. C.* Vict. 2. (13) — *posse* Md. (Fortasse: *posset*, ut saepe hoc tempus in formulis legitur.) (14) — om. *prohibuerit* Crat. Lamb. (15) — *tum* Md. (16) — *existimari* Md. — *existimaturum* Lamb.

Si quis huic S. C. intercessisset[1], *senatui placere auctoritatem perscribi et de ea re ad senatum populumque referri.*

Huic S. C. intercessit C. Caelius, L. Vinicius[2], P. Cornelius, C. Vibius Pansa, [*tribuni pl.*].

7. *Item senatui placere de militibus, qui in exercitu C. Caesaris sunt*[3]*: qui eorum stipendia emerita aut*[4] *causas, quibus de causis missi fieri debeant, habeant, ad hunc ordinem referri*[5], *ut eorum ratio habeatur causaeque cognoscantur.*

Si quis huic S. C. intercessisset[6], *senatui placere auctoritatem perscribi et de ea re ad hunc ordinem referri*[7].

Huic S. C. intercessit C. Caelius[8], C. Pansa, tribuni pl.

8. *Itemque senatui placere in Ciliciam provinciam, in*[9] *octo reliquas provincias, quas praetorii pro praetore*[10] *obtinerent, eos, qui praetores fuerunt neque in provinciam*[11] *cum imperio fuerunt, quos eorum ex S. C. cum imperio in provincias*

---

(1) Sic Cdd. aliq. (Dresd. 1. Torgav. cet., qui saepe Md. scripturam exhibent. E Md. ipso nihil notatur: sed infra [§. 7.] recte habet.) Beng. — *intercesserit* Cett. (2) — *Vicinius* Md. Neap. Antiq. Crat. Vict. 1 et 2. Lamb. (3) — *sint* Ern. Є. Sch. (4) — del. *aut* Neap. Antiq. Crat. Lamb. (5) — *referre* Md. Crat. Vict. 1. (6) Sic Md. Crat. Vict. 1 et 2. Bened. — *intercesserit* Lamb. Graev. Ern. Sch. (7) Sic Vict. 2. — *et de ea republica adhuc ordinem referri* Md. — *et de ea re placere ad hunc ordinem referri* Crat. Vict. 1. Beng. Bened. — *et de ea re ad senatum populumque referri* Lamb. Graev. Ern. Sch. (8) Hic et supra [§. 6.] om. praenomen C. Md. Vict. 1.; tertio loco [§. 8.] habent. (9) — *inque* Neap. Lamb. — *et in* Crat. (10) ∾ *pro praetoribus* hic (et infra) volebat Gronov. (11) Sic Md. Vict. 2. ∾ *in provincia* Cett.

pro praetore mitti oporteret, eos sortito in provincias mitti placere: si ex eo numero, quos ex [1] *S. C. in provincias ire oporteret, ad numerum non essent, qui in eas provincias proficiscerentur: tum uti quodque collegium primum* [2] *praetorum fuisset neque in provincias profecti essent, ita sorte in provinciam* [3] *proficiscerentur: si ii ad numerum* [4] *non essent, tunc deinceps proximi cuiusque collegii, qui praetores fuissent neque in provincias profecti essent, in sortem coicerentur* [5], *quoad is numerus effectus esset, quem ad numerum in provincias mitti oporteret.*

Si quis huic S. C. intercessisset, auctoritas perscriberetur.

Huic S. C. intercessit C. Caelius, C. Pansa, tribuni pl.

9. Illa praeterea Cn. Pompeii sunt animadversa, quae maxime [6] confidentiam attulerunt hominibus, ut diceret se ante Kalend. Mart. non posse sine iniuria de provinciis Caesaris statüere, post Kal. Mart. se non [7] dubitaturum. Quum interrogaretur, si qui tum intercederent: dixit hoc nihil interesse, utrum C.[8] Caesar senatui dicto audiens futurus non esset, an pararet, qui senatum decernere non pateretur [9].

---

(1) — om. *ex* Md. Crat. Vict. 1. (2) — *proximum* Manutii susp. (Est *quidque primum*, et *quodque primum* cum subst. »unum post alterum." cfr. *ad Fam.* 12, 1. *de Divin.* 1, §. 127. *de Nat. D.* 1, §. 77. 3, §. 7. Curtius 4, 8. *Africus prima quaeque congesta subruit.*) (3) Sic Md. Vict. 1. Beng. Bened. ∾ *in provincias* Cett. (4) — om. *ii* Crat. — *ad num. ii* Lamb. (5) Sic Md. Vict. 2. = *coniicerentur* Cett. (6) — *maximam* Crat. (7) — om. *non* Graev. (8) — om. *C.* Crat. Lamb. (9) ∾ *paterentur* Neap. Lamb.

«Quid? si, inquit alius, et consul esse et exercitum habere volet?" At ille quam clementer: «Quid? si filius meus fustem mihi impingere volet?" His vocibus, ut existimarent homines Pompeio cum Caesare esse negotium, effecit. Itaque iam, ut video, alteram utram[1] ad conditionem descendere vult Caesar, ut aut maneat neque hoc anno sua[2] ratio habeatur, aut, si designari poterit, decedat. Curio se contra eum totum parat: quid assequi possit, nescio. Illud video[3], bene sentientem, etsi nihil effecerit, cadere non posse.

10. Me tractat liberaliter Curio[4] et mihi suo munere negotium imposuit. Nam si mihi non dedisset eas, quae ad ludos ei advectae erant Africanae[5], potuit supersederi[6]. Nunc, quoniam[7] dare necesse est, velim tibi curae sit, quod a te semper petii, ut aliquid istinc bestiarum habeamus: Sittianamque[8] syngrapham tibi commendo. Libertum Philonem istuc[9] misi et Diogenem Graecum[10], quibus mandata et literas ad te dedi. Eos tibi et rem, de qua misi, velim curae habeas. Nam, quam vehementer ad me pertineat, in iis, quas tibi illi reddent, literis descripsi.

(1) Sic Md. Neap. Vict. 1 et 2. Graev. Bened. = *alterutram* Antiq. Crat. Lamb. Ern. Sch. (2) Sic Md. Ern. Bened. — *sui* Ceteri. (3) — *vides* Crat. (4) — del. *Curio* Lamb. (5) — *Africanas* Lamb. (6) — *supersedere* Md. Crat. (7) Sic scripsi. — *quo* cum lineola Md. — *quom* Vict. 2. — *quum* Vict. 1. Graev. Bened. — *quando* Neap. Antiq. Crat. Lamb. Ern. Sch. (8) — *Sitianam* (sic semper) *quoque* Lamb. (9) = *istoc* Md. (10) ∾ del. *Graecum* de Weiskii susp. Sch.

EPISTOLA IX.
(ad Fam. II. 9.)

Argumentum.

Nondum accepta Ep. VIII. (Cf. Ep. X. §. 1.) Cicero, soli Epistolae VII. respondens, gratulatur Caelio de Aedilitate obtenta, et in Hirrum competitorem deiectum facete iocatur verbis veteris poetae (Cf. de Finib. B. et M. II. 4. 13. et Tusc. IV. 15. 35.) §. 1. Deinde suam in Caelium benevolentiam, eiusque in se merita demonstrat §. 2.

Scripta videtur mense Octobri; (dicit enim §. 1. se *serius* respondere ad Ep. VII.) sed ante III. Idus Octobr. quo die magnum numerum hostium in Amano monte occidit (Cf. ad Att. V. 20. 3.), id quod demum narrat sequenti Ep. X. §. 3.

M. Cicero Procos. S. D. M. Caelio
AEDILI CUR. DES.

1. *Primum*[1] *tibi, ut debeo, gratulor laetorque quum praesenti, tum etiam sperata tua dignitate, serius, non negligentia mea, sed ignoratione rerum omnium: in iis*[2] *enim sum locis, quo et propter longinquitatem et propter latrocinia tardissime omnia perferuntur. Et quum gratulor, tum vero, quibus verbis tibi gratias agam, non reperio, quod ita factus sis*[3]*, ut dederis nobis, quemadmodum scripseras ad me, quem*[4] *semper ridere possemus. Itaque quum primum audivi, ego ille ipse factus sum, — scis quem dicam*[5] *— egique omnes*

(1) — *Plurimum* Vict. 2. Lamb. contra Md. (2) Sic Mart-Lag. Luen. — *in his* Ceteri cum Md. (3) — *factum sit* Ald. Crat. Lamb. (4) — *quod* Cdd. aliq. — *quae* mala G. Mart-Lag. Sch. (5) — *dico* Ciz. Alii Cdd. Crat., non improb. Daehnio. (Md. *dicam*.)

illos adolescentes, quos ille iactitat[1]. *Difficile est loqui. Te autem contemplans absentem et*[2] *quasi tecum coram loquerer:*

Non edepol, quantam egeris rem[3] neque quantum facinus feceris.

Quod quia praeter[4] *opinionem mihi acciderat, referebam me ad illud:*

Incredibile hoc factu[5] obiicitur.

Repente vero incessi omnibus laetitiis[6] ... *In quo quum obiurgarer, quod nimio gaudio paene desiperem, ita me defendebam:*

Ego voluptatem animi[7] nimiam...

Quid quaeris? dum illum rideo, paene sum factus ille.

2. *Sed haec pluribus multaque alia et de te et ad te, quum primum*[8] *ero aliquid nactus otii*[9]. *Te vero, mi Rufe, diligo, quem mihi fortuna dedit amplificatorem dignitatis meae, ultorem non modo inimicorum, sed etiam invidorum meorum: ut eos partim scelerum suorum, partim etiam ineptiarum poeniteret.*

---

(1) — *iactitabat* Man. Beng. Fortasse: *actitat* sc. personas adolescentium e comoediis et mimis. (2) — del. *et* Mart-Lag. contra Md. (3) — *rem egeris* Mart-Lag. contra Md. (4) — *Quodque praeter* Mart-Lag. Sch. contra Md. (5) — *factum* contra Md. Antiq. Mart-Lag. Sch. (6) — *laetitiis laetus* Mart-Lag. G. Sch. (7) — *homini* Md. — *hominum* Crat. (8) — *quam primum* Md. Vict. 1. (9) Sic Md. Neap. Antiq. Vict. 1 et 2. Bened. Mart-Lag. — *otii nactus* Lamb. Graev. Ern. Sch.

EPISTOLA X.
(ad Fam. II. 10.)

Argumentum.

Questus de tabellariis, literas non perferentibus, qua re occulte Caelium accusare videtur negligentiae literarum §. 1. significat Caelium ex Parthico bello frustra timuisse (Cf. Ep. VI. 1.), quod sit satis probe ornatus auxiliis et nominis sui auctoritate §. 2. Laudata ergo Cassii et Bibuli opera, narrat res a se in Amano monte ita gestas esse ut Imperator appellatus sit §. 3. Deinde abducto exercitu ad Eleutherocilices, Pindenissum a se oppugnari narrat; quod, quamquam munitissimum oppidum, brevi se expugnaturum esse confidit §. 4. Et tamen, quamquam satis felicem exitum haec aestas habuerit, rogat Caelium ut curet, ne quid sibi temporis ad provinciale munus prorogetur §. 5. utque diligentissime perscribat, quae in re publica agantur §. 6.

Scripta est ex castris ad Pindenissum, ut videtur, XVII. Kal. Dec. Dicit enim §. 4. se scribere *quinto et vigesimo* oppugnationis die. Oppugnatio finita Saturnalibus (ad Att. V. 20. in.) i. e. XVI. Kal. Ian. duravit vero 57 dies: ergo coepta XI. Kal. Nov. — Nam quod in eadem ad Att. V. 20 in. legitur in melioribus codd. 47 pro 57, id falsum esse evincitur et consensu omnium codd. in Epistola ad Catonem (ad Fam. XV. 4. 10.) et ipsa computatione dierum: nam III. Id. Oct. Amanienses vicit, ibique quinque dies (ad Att. V. 20. 3.) moratus est ad XV. Kal. Nov. Iam de XII vel XIII diebus nihil narraret Cicero in Ep. ad Att. V. 20 et ad Catonem (ad Fam. XV. 4.), si oppugnatio prid. vel ipsis Kal. Nov. incepisset; quod non est verisimile.

M. Cicero Imp. S. D. M. Caelio
AEDILI CUR. DES.

1. *Tu vide*, *quam*[1] *ad me literae non perfe-*

(1) — *vide quam timide*, *quam* Ciz. Crat. — *quam ob rem* ex antiqua, sed mala correctione Mart-Lag. Sch.

3*

rantur. Non enim possum adduci [1], *ut abs te, postea quam aedilis es factus* [2], *nullas putem datas: praesertim quum esset tanta res tantae gratulationis* [3]; *de te* [4], *quia quod sperabam: de Hillo* [5], *— balbus enim sum — quod non putaram. Atqui sic habeto, nullam me epistolam accepisse tuam post comitia ista praeclara, quae me laetitia extulerunt: ex quo vereor, ne idem eveniat in meas literas* [6]. *Equidem nunquam domum misi unam epistolam, quin esset ad te altera: nec mihi est te* [7] *iucundius quidquam, nec carius. Sed — balbi non sumus — ad rem redeamus.*

2. *Ut optasti, ita est. Velles enim, ais, tantum modo ut haberem negotii, quod esset ad laureolam satis: Parthos times, quia diffidis copiis nostris. Ergo ita accidit. Nam Parthico bello nuntiato, locorum quibusdam angustiis et natura montium fretus ad Amanum exercitum adduxi satis probe ornatum auxiliis et quadam* [8] *auctoritate apud eos, qui me non norant, nominis nostri. Multum est enim in his locis: « Hiccine est ille, qui urbem? quem senatus?" nosti cetera.*

3. *Quum venissem ad Amanum, qui mons mihi cum*

(1) — *adduci possum* Neap. Antiq. Lamb. (2) — *factus es* Neap. Antiq. Lamb. Mart-Lag. contra Md. (3) Sic (Md.) Graev. Seqq. Est genitivus sing. ut: *tot artes tantae scientiae: Cat. mai.* §. 78. — *gratulationes* Crat. Vict. 1 et 2. Lamb. (4) — *de te quidem* Mart-Lag. contra Md. (5) Sic certa 𝔈. Lamb. Graev. Mart-Lag. Sch. — *de nihilo* Md. Neap. Antiq. Ald. Vict. 1 et 2. — *dein Hillo* Ern. — *de illo* Man. Bened. (cfr. Bentleium ad *Horat. Serm.* 1, 3, 47.) (6) — *in meis literis* Mart-Lag. 𝔈. Sch. Sed cfr. Daehne *Misc. Crit.* 2, p. 255. (7) — *te est* Mart-Lag. prob. Goerenz. *Legg.* p. 108. contra Md. (8) — *quadam etiam* Mart-Lag. Sch. contra Md.

Bibulo communis est, divisus aquarum divortiis[1], *Cassius noster, quod mihi magnae voluptati fuit, feliciter ab Antiochea*[2] *hostem reiecerat; Bibulus provinciam acceperat. Interea cum meis copiis omnibus vexavi Amanienses, hostes sempiternos. Multi occisi, capti: reliqui dissipati: castella munita improviso adventu capta et incensa. Ita victoria iusta imperator appellatus apud Issum — quo in loco, saepe ut ex te audivi, Clitarchus tibi narravit, Dareum*[3] *ab Alexandro esse superatum, — abduxi*[4] *exercitum ad infestissimam Ciliciae partem.* 4. *Ibi quintum et vigesimum*[5] *iam diem aggeribus, vineis, turribus oppugnabam oppidum munitissimum, Pindenissum, tantis opibus*[6] *tantoque negotio, ut mihi ad summam gloriam nihil desit, nisi nomen oppidi: quod si, ut spero, cepero, tum vero literas publice mittam. Haec ad te in praesenti scripsi, ut sperares*[7] *te assequi id, quod optasses*[8].

5. *Sed, ut redeam ad Parthos, haec aestas habuit hunc exitum satis felicem: ea, quae sequi-*

---

(1) — *divertiis* Md. Vict. 2. (2) Sic Md. Vict. 1 et 2. Graev. Bened. = *Antiochia* Ceteri. (Mox *appellatur* Vict. 1. err. typogr.) (3) Sic Md. Vict. 1 et 2. = *Darium* Cett. (4) Sic Md. Ald. Crat. Vict. 1 et 2. Lamb. Bened. Mart-Lag. prob. Pareo in *Lex. crit.* p. 6. — *adduxi* Neap. Antiq. Graev. Ern. Sch. (5) Sic Md. Antiq. Vict. 1 et 2. Lamb. Bened. Mart-Lag. Sch. — *quintum viges.* Graev. Ern. (6) Sic Md. a. pr. manu. Ciz. Crat. Vict. 1. Graev. Beng. Ern. Mart-Lag. prob. Daehnio, qui conferri iubet *Tusc.* 3, 11. *omnibus opibus atque viribus.* ∾ *operibus* Md. a sec. manu. Vict. 2. Lamb. Bened. Sch., prob. Rostio *Spec.* 2, p. 1. (7) Sic scripsi. — *speras* Md. a. pr. manu. — *speres* Cett., quod non coit cum *optasses.* (8) — *optasses, posse.* Lamb.

tur, magno est in timore. Quare, mi Rufe, vigila: primum ut mihi succedatur: sin id erit, ut scribis et ut ego arbitror, spissius; illud, quod facile est, ne quid mihi temporis prorogetur.

6. *De re publica, ex tuis literis*[1], *ut antea tibi scripsi, quum praesentia, tum etiam futura*[2] *magis exspecto. Quare, ut ad me omnia quam diligentissime perscribas, te vehementer rogo.*

---

(1) Sic Md. Neap. Antiq. Ald. Vict. 1 et 2. Lamb. Bened. — del. *literis* Graev. Ern. Mart-Lag. Sch. (2) — *fut. etiam* Mart-Lag. contra Md.

EPISTOLA XI.
(ad Fam. VIII. 10.)

Argumentum.

Commotum se esse scribit Caelius iis, quae C. Cassius et rex Deiotarus de Parthorum transitu scripserant ad senatum, indeque timere se Ciceroni propter copiarum eius exiguitatem §. 1. Deinde narrat, quam varios sermones excitarint illi nuntii §. 2. et, quum suspicio fuerit de Cassio, quasi is, ficto bello, Arabas ornatu Parthico in provinciam immisisset (Cf. ad Fam. III. 8. 10.), suadet Ciceroni ut de isto rerum statu diligenter perscribat §. 3. Addit, videri sibi de re publica nihil actum iri hoc anno, quod Marcellus tardus sit, Servius cunctator §. 4. tum quid a novis magistratibus sit exspectandum §. 5. et de Curionis actione circa Campanum agrum §. 6. Concludit epistolam officio suo; quum se praestaturum promittat, ne quid ei temporis in provinciali munere prorogetur §. 7.

Scripta est XIIII. Kal. Dec. Cf. §. 4.

Caelius Ciceroni S.

1. Sanequam literis C. Cassii et Deiotari sumus commoti. Nam Cassius cis Euphraten copias Parthorum esse scripsit: Deiotarus, profectas per Commagenem in provinciam nostram. Ego quidem praecipuum metum, quod ad te attinebat, habui, qui scirem, quam paratus ab exercitu esses, ne quod hic tumultus dignitati tuae periculum afferret. Nam de vita, si paratior ab exercitu esses, timuissem: nunc haec exiguitas copiarum recessum, non dimicationem mihi tuam praesagiebat. Hoc quomodo acciperent homines, quam probabilis necessitas futura

esset, vereor etiam nunc: neque prius desinam formidare, quam tetigisse te[1] Italiam audiero.

2. Sed de Parthorum transitu nuntii varios sermones excitarunt. Alius enim, Pompeium mittendum: alius, ab urbe Pompeium[2] non removendum: alius, Caesarem cum suo exercitu: alius, consules: nemo tamen ex senatus consulto privatos. Consules autem, quia verentur, ne illud senatus consultum fiat, ut paludati exeant et[3] contumeliose praeter eos ad alium res transferatur, omnino senatum haberi[4] nolunt, usque eo, ut parum diligentes in re publica videantur: sed honeste, sive negligentia sive inertia est sive ille, quem proposui, metus, latet[5] sub hac temperantiae existimatione nolle provinciam. 3. A te literae non venerunt: et, nisi Deiotari subsecutae essent, in eam opinionem Cassius venerat[6], quae diripuisset ipse, ut viderentur ab hoste vastata, finxisse bellum et Arabas in provinciam immisisse eosque Parthos esse senatui renuntiasse. Quare tibi suadeo, quicunque est istic status rerum, diligenter et caute perscribas, ne aut velificatus alicui dicaris aut aliquid, quod referret scire, reticuisse.

4. Nunc exitus est anni: nam ego has literas a. d. XIIII. Kal. Decemb. scripsi. Plane nihil video ante Kal. Ianuar. agi posse. Nosti Marcellum,

(1) — *te attigisse* Margo Crat. (2) — om. *Pompeium* Neap. Antiq. Crat. Lamb. (3) Sic Md. Neap. Antiq. Crat. Vict. 1 et 2. Lamb. Bened. (vide Victorii Curas tertias.) — *aut* Graev. Ern. Sch. (4) — *haberi omnino sen.* Crat. (5) — *latent* ex Ed. Rom. Ern. Sch. (6) — *veniat* Md.

quam tardus et parum efficax sit: itemque Servius[1] quam cunctator. Cuiusmodi putas hos esse, aut quam[2] id, quod nolint, conficere posse, qui, quae cupiunt, tamen[3] ita frigide agunt, ut nolle existimentur? 5. Novis magistratibus autem, si Parthicum bellum erit, haec causa primos menses occupabit. Sin autem aut non erit istic bellum[4], aut tantum erit[5], ut vos aut successores parvis additis copiis sustinere possint: Curionem video se dupliciter iactaturum; primum, ut aliquid Caesari adimat; inde[6] ut aliquid Pompeio tribuat, quodvis[7] quamlibet tenue munusculum. Paullus porro[8] non humane de provincia loquitur: huius cupiditati occursurus est Furnius noster; plures suspicari non possum. 6. Haec novi: alia, quae possunt accidere, non cerno. Multa tempus afferet; praeparata multa rescio[9]: sed intra fines hos, quaecunque acciderint, vertentur. Illud addo: [ad[10]] actiones C. Curionis, de agro Campano: de quo negant Caesarem laborare,

(1) — *Servium* Vict. 2. Lamb. Graev. contra Md. (2) Sic Md. Vict. 2. Bened. — *qui* Cett. (3) — om. *tamen* Crat. (4) Sic Neap. Vict. 1 et 2. Lamb. — *sin aut sit aut non erit i. b.* Md. Bened. — *sin autem non erit* Graev. Ern. Sch. (5) Sic Vict. 2. Seqq. — *autem tum erit* Md. — *aut tum erit* Crat. Vict. 1. (6) — *deinde* Lamb. (7) Sic Crat. Vict. 2. Lamb. — *quidvis* Cett. cum Md. (8) — *quoque* Margo Crat. (9) Sic scripsi cum Vict. 2., qui tamen: — *adferet tempus.* — *multa tempus afferre et praeparata multa rescio* Md. (in *rescio* pro *rescisco* sane offendimus. Fuitne: *multa, ut scio.* Sic *Ep.* 12, §. 1. [h. Ed. *Ep.* XXI. 1.] pro *ipsum reprenderem* probabiliter emendarunt: *ipsum ut prenderem.*) — *m. t. afferre et p. m. esse scio* Neap. Antiq. Crat. Vict. 1. Bened. — *m. t. afferre et p. multa scio* Lamb. Graev. Ern. — *m. t. afferre et praeparata mutare te perspicere scio* ex immani interpol. Ascens. Sch. 2. (10) ∾ del. *ad*, recte, puto, Lamb. Ego [ ].

sed Pompeium valde nolle [1], ne vacuus advenienti Caesari pateat.

7. Quod ad tuum decessum attinet, illud tibi non possum polliceri, me curaturum, ut tibi succedatur: illud certe praestabo, ne amplius [2] prorogetur. Tui consilii est, si tempus, si senatus coget, si honeste a nobis recusari non poterit, velisne perseverare: mei officii est meminisse, qua obtestatione decedens [3] mihi, ne paterer fieri, mandaris.

(1) — del. *nolle* sine causa; nam saepissime ex verbo *negare* in altero membro supplendum est *aiere*. Sch. — *velle* Lamb. (2) — *ne quid amplius* Neap. Lamb. (3) Fortasse : ∾ *discedens.*

EPISTOLA XII.
(ad Fam. II. 14.)

Argumentum.

Cicero, quod rogatu C. Cassii fecisse videtur (Cf. ad Fam. XV. 14. in.), M. Fabium commendat Caelio a quinque rebus: probitate, doctrina, ingenio, modestia, amicitia sua §. 1. Deinde significat se de rebus Romanis exspectare literas §. 2.

Scripta est per hiemem, quia ait §. 2. *iamdiu propter hiemis magnitudinem nihil novi ad nos afferebatur*. Fortasse eodem tempore, quo similia fere ad Paetum (ad Fam. IX. 25. 2.) scripsit: *Cum M. Fabio, quod scire te arbitror, mihi summus usus est--- Is quum ad me Laodiceam venisset, mecumque ego eum esse vellem, repente percussus est atrocissimis literis, in quibus scriptum erat fundum Herculanensem a Q. Fabio, fratre, proscriptum esse: qui fundus cum eo communis esset --- Nunc si me amas, mi Paete, negotium totum suscipe: molestia Fabium libera.* Iam vero quum Cicero Laodiceam venerit III. Id. Febr. (Cf. ad Att. V. 21. 4.) probabiliter haec Epistola referetur ad mensem Februarium anni 704, una cum Ep. ad C. Curtium praetorem (ad Fam. XIII. 59.) *M. Fabium unice diligo summaque mihi cum eo consuetudo et familiaritas est pervetus. In eius controversiis --- a te peto --- ut quam facillimos ad te aditus habeat: quae erunt aequa, lubente te impetret: ut meam amicitiam sibi, etiam quum procul absim, prodesse sentiat, praesertim apud te.* Quae epistola in ed. Orell. falso superscriptum habet annum 708.

M. Cicero Imp. S. D. M. Caelio aedili cur.

1. *M.*[1] *Fabio, viro optimo et homine doctis-*

(1) — om. *M.* Md. Crat. Sed vide Bened. Ceterum evolve Wolfii *Analecta lit.* 4. p. 381., et defle imbecillitatem humanam.

simo, familiarissime utor mirificeque eum diligo quum propter summum ingenium eius[1] *summamque doctrinam, tum propter singularem modestiam. Eius negotium sic velim suscipias, ut si esset res mea. Novi ego vos magnos patronos: hominem occidat oportet, qui vestra opera uti velit; sed in hoc homine nullam accipio excusationem. Omnia relinques, si me amabis, quum tua opera Fabius uti volet.*

2. *Ego res Romanas vehementer exspecto et desidero: in primisque, quid agas, scire cupio: nam iamdiu propter hiemis magnitudinem nihil novi ad nos*[2] *afferebatur.*

---

(1) — *eius ing*. Lamb. contra Md. (2) — *ad nos novi* Mart-Lag. contra Md.

EPISTOLA XIII.
(ad Fam. VIII. 6.)

Argumentum.

In priore parte Epistolae (§. 1—3.) scribit Caelius Appium, qui cum Cicerone in gratiam redierat, a Dolabella esse accusatum: cavendumque Ciceroni, ne, si Appio non studuerit, parum simpliciter et candide inimicitias posuisse videatur §. 1. Dolabellae autem, a quo uxor discesserit, Tulliolam, Ciceronis filiam, serius posse collocari §. 2. Deinde significat, Pompeium valde pro Appio laborare: totam vero otiosam esse civitatem: otiosos consules: otiosum Curionem tribunum plebis; se autem, qui Aedilis in concione coërcuerit tabernarios et aquarios — quorum hi quidem, ut illis gratificarentur, aquas ex publicis ductibus in tabernas per fraudem videntur derivasse; cf. Frontinus de Aquaeduct. c. 76. — prohibuisse quominus veternus occuparet civitatem; denique malum nuntium venisse de Bibulo §. 3. In altera parte Epistolae, aliquanto serius scripta, narrat Curionem tribunum plebis, mutata voluntate, ab optimatibus ad Caesaris partes transiisse §. 4. Addit se cupere Appii gratiam: suadetque, Dolabellae affinitas si probetur, celandum §. 5. Claudit epistolam commendatione pantherarum §. 6.

De tempore, quo scripta sit haec Epistola, dicemus ad Ep. sequentem, quae data est postridie hanc.

Caelius Ciceroni S.

1. Non dubito, quin perlatum ad te sit, Appium a Dolabella reum factum: sanequam[1] non ea, quam[2] existimaveram, invidia. Neque enim stulte Appius: qui, simul atque Dolabella accessit ad tribunal, introierat in urbem triumphique postulatio-

(1) — *sane* Crat. (2) ∾ *qua* Lamb. Sch.

nem abiecerat. Quo facto retudit[1] sermones paratiorque visus est, quam speraverat accusator. Is nunc in te maximam spem habet. Scio tibi eum non esse odio. Quam velis eum obligare, in tua manu est: cum quo *si* simultas[2] tibi non fuisset, liberius tibi de tota re esset. Nunc, si ad illam summam veritatem[3] legitimum ius exegeris, cavendum tibi erit, ne parum simpliciter et candide posuisse inimicitias videaris. In hanc partem porro tutum tibi erit, si quid volueris, gratificari[4]: nemo enim necessitudine et amicitia te deterritum ab officio dicet. Illud mihi occurrit, quod inter postulationem et nominis delationem uxor a Dolabella discessit.

2. Quid mihi discedens mandaris, memini; quid ego tibi scripserim, te non arbitror oblitum. Non est iam tempus plura narrandi. Unum illud monere te possum: si[5] res tibi non displicebit, tamen hoc tempore nihil de tua voluntate ostendas et exspectes, quemadmodum exeat ex hac causa. Denique[6] invidiosum tibi sit, si emanarit: porro, *si* significatio[7] ulla intercesserit, clarius, quam deceat aut expediat, fiat. Neque[8] ille tacere eam rem poterit, quae suae spei tam opportuna acciderit quaeque in negotio conficiendo tanto illustrior erit: quum praesertim is sit,

(1) Sic Vict. 1. Lamb. Seqq. — *factor etulit* (sic) Md. — *facto rettulit* Crat. Vict. 2. (2) Sic scripsi. — om. *si* Md. Vict. 1. Graev. — *simultas si* Vict. 2. Ern. Bened. Sch. (— *si simultates t. n. fuissent* Neap. — *simultates si t. n. fuissent* Crat. Lamb.) (3) — *severitatem* Neap. Vict. 2. Lamb. contra Md. (4) — *ei grat.* Lamb. (5) — *ut si* Lamb. (6) — *causa ne qua i.* Lamb. Ern. Sch. (7) Sic scripsi. — om. *si* Md. — *signif. ulla si* Cett. — *intercessit* Md. (8) — *neque enim* Lamb.

qui, si perniciosum sciret esse loqui de hac re, vix tamen se contineret.

3. Pompeius dicitur valde pro Appio laborare, ut etiam putent alterum utrum [1] de filiis ad te missurum. Hic nos omnes absolvimus: et hercules consaepta [2] omnia, foeda et inhonesta sunt. Consules autem habemus summa diligentia: adhuc senatus consultum, nisi de feriis Latinis, nullum facere potuerunt. Curioni nostro tribunatus conglaciat. Sed dici non potest, quomodo hic omnia iaceant. Nisi ego cum tabernariis et aquariis pugnarem, veternus civitatem occupasset. Si Parthi vos nihil calfaciunt [3], nos hic frigore [4] frigescimus. Tamen, quoquo modo hic omnia iaceant, potuit sine Parthis. Bibulus in Amano nescio quid cohorticularum amisit. Hoc sic nuntiatum est.

4. Quod tibi supra scripsi Curionem valde [5] frigere, iam calet: nam ferventissime concerpitur. Levissime [6] enim, quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populum et pro Caesare loqui coepit: legemque viariam, non dissimilem agrariae Rulli, et alimentariam, quae [7] iubet aediles metiri, iactavit.

(1) Sic Md. Vict. 1 et 2. Bened. = *alterutrum* Cett. (2) Sic Md. Lall. Bened. Sch. — *confecta* Crat. Vict. 1 et 2. Lamb. Graev. Ern. (— *fodera* pro *foeda* Md.) Tum: — *foede et inhoneste* Lamb. (3) = *calficiunt* Md. (4) — *nos nihil fr.* Md. Crat. Bened.; hic ita distinguens: — *nos nihil: frig.* Ceterum mirus est iste Hebraismus: *frigore frigescimus.* Puto fuisse: *frigore rigescimus.* (5) — om. *valde* Crat. Lamb. (6) — *Bellissime* Crat. Manut. Lamb. (7) Sic Graev. Ern. Sch. cfr. Schubert *de Aedilibus* p. 167. — *quas* Md. Neap. Antiq. Crat. Vict. 1 et 2. Lamb. Bened.

Hoc nondum fecerat, quum priorem partem epistolae[1] scripsi.

5. Amabo te, si quid, quod opus fuerit, Appio facies, ponito me in gratia[2]. De Dolabella integrum tibi reserves[3], suadeo: et huic rei, de qua loquor, et dignitati tuae aequitatisque opinioni hoc ita facere expedit.

6. Turpe tibi erit pantheras Graecas me non habere.[4]

---

(1) — *ep. partem* Crat. Lamb. (2) — *in gratiam* Crat. Vict. 2. Lamb. (3) — *integram tibi rem serves* Lamb. (4) — *pantherarum greges me non habere. Vale.* Lamb.; ipse postea improbavit. Ceterum haereo in *pantheris Graecis.* Volebatne potius *Cibyratas*, ut *Epist.* 4. et 9. [h. Ed. *Ep.* V. 5. et VII. 3.]? Facile semel hoc nomen corrumpi potuit. Nisi tamen ex usu loquendi *Graecae* tum opponebantur *Africanis.*

EPISTOLA XIV.
(ad Fam. VIII. 7.)

Argumentum.

Hortatur Ciceronem, ut e provincia decedere festinet, quod timeat ei a bello Parthico, quamquam audiverit adhuc rem bene gestam §. 1. Breviorem hanc Epistolam eo excusat, quod pridie scripserit pluribus verbis, neo deinde quidquam novi acciderit, praeter Cornificii et Orestillae filiae nuptias, Paullae divortium, Ocellae adulteria §. 2.

Haec Epistola scripta est postridie quam superior, ut apparet ex §. 2. Utraque autem videtur referenda ad mensem Martium. Significat enim Cicero in Ep. XX. §. 5. se, quum de Ocella comperisset, una a Caelio accepisse acta urbana: *De Ocella*, inquit, *parum ad me plane scripseras et in actis non erat.* Ea vero acta ad Non. Mart. pertinuisse legimus ad Att. VI. 2. 6. *Habebam acta usque ad Nonas Martias.*

Caelius Ciceroni S.

1. Quam cito tu istinc decedere cupias, nescio: ego quidem eo magis, quo adhuc felicius res[1] gessisti. Dum istic eris, de belli Parthici periculo cruciabor, ne hunc risum meum metus aliqui[2] perturbet.

2. Breviores has literas properanti publicanorum tabellario subito dedi: tuo liberto pluribus verbis scriptas pridie dederam. Res autem novae nullae sane acciderunt, nisi haec vis tibi scribi, quae certe vis: Cornificius adolescens Orestillae filiam[3] sibi despon-

(1) ∾ *rem* Lamb. Graev. Ern. Sch. (2) Sic h. l. et infra Md. Crat. Vict. 1 et 2. Graev. Bened. Sch. = *aliquis* Lamb. Ern. (— *perturbent* Crat.) (3) — *adolescentior est illae filium* Md.

esset, vereor etiam nunc: neque prius desinam formidare, quam tetigisse te[1] Italiam audiero.

2. Sed de Parthorum transitu nuntii varios sermones excitarunt. Alius enim, Pompeium mittendum: alius, ab urbe Pompeium[2] non removendum: alius, Caesarem cum suo exercitu: alius, consules: nemo tamen ex senatus consulto privatos. Consules autem, quia verentur, ne illud senatus consultum fiat, ut paludati exeant et[3] contumeliose praeter eos ad alium res transferatur, omnino senatum haberi[4] nolunt, usque eo, ut parum diligentes in re publica videantur: sed honeste, sive negligentia sive inertia est sive ille, quem proposui, metus, latet[5] sub hac temperantiae existimatione nolle provinciam. 3. A te literae non venerunt: et, nisi Deiotari subsecutae essent, in eam opinionem Cassius venerat[6], quae diripuisset ipse, ut viderentur ab hoste vastata, finxisse bellum et Arabas in provinciam immisisse eosque Parthos esse senatui renuntiasse. Quare tibi suadeo, quicunque est istic status rerum, diligenter et caute perscribas, ne aut velificatus alicui dicaris aut aliquid, quod referret scire, reticuisse.

4. Nunc exitus est anni: nam ego has literas a. d. XIIII. Kal. Decemb. scripsi. Plane nihil video ante Kal. Ianuar. agi posse. Nosti Marcellum,

(1) — *te attigisse* Margo Crat. (2) — om. *Pompeium* Neap. Antiq. Crat. Lamb. (3) Sic Md. Neap. Antiq. Crat. Vict. 1 et 2. Lamb. Bened. (vide Victorii Curas tertias.) — *aut* Graev. Ern. Sch. (4) — *haberi omnino sen.* Crat. (5) — *latent* ex Ed. Rom. Ern. Sch. (6) — *veniat* Md.

quam tardus et parum efficax sit: itemque Servius[1] quam cunctator. Cuiusmodi putas hos esse, aut quam[2] id, quod nolint, conficere posse, qui, quae cupiunt, tamen[3] ita frigide agunt, ut nolle existimentur? 5. Novis magistratibus autem, si Parthicum bellum erit, haec causa primos menses occupabit. Sin autem aut non erit istic bellum[4], aut tantum erit[5], ut vos aut successores parvis additis copiis sustinere possint: Curionem video se dupliciter iactaturum; primum, ut aliquid Caesari adimat; inde[6] ut aliquid Pompeio tribuat, quodvis[7] quamlibet tenue munusculum. Paullus porro[8] non humane de provincia loquitur: huius cupiditati occursurus est Furnius noster; plures suspicari non possum. 6. Haec novi: alia, quae possunt accidere, non cerno. Multa tempus afferet; praeparata multa rescio[9]: sed intra fines hos, quaecunque acciderint, vertentur. Illud addo: [ad[10]] actiones C. Curionis, de agro Campano: de quo negant Caesarem laborare,

---

(1) — *Servium* Vict. 2. Lamb. Graev. contra Md. (2) Sic Md. Vict. 2. Bened. — *qui* Cett. (3) — om. *tamen* Crat. (4) Sic Neap. Vict. 1 et 2. Lamb. — *sin aut sit aut non erit i. b.* Md. Bened. — *sin autem non erit* Graev. Ern. Sch. (5) Sic Vict. 2. Seqq. — *autem tum erit* Md. — *aut tum erit* Crat. Vict. 1. (6) — *deinde* Lamb. (7) Sic Crat. Vict. 2. Lamb. — *quidvis* Cett. cum Md. (8) — *quoque* Margo Crat. (9) Sic scripsi cum Vict. 2., qui tamen: — *adferet tempus.* — *multa tempus afferre et praeparata multa rescio* Md. (in *rescio* pro *rescisco* sane offendimus. Fuitne: *multa*, *ut scio*. Sic *Ep.* 12, §. 1. [h. Ed. *Ep.* XXI. 1.] pro *ipsum reprenderem* probabiliter emendarunt: *ipsum ut prenderem.*) — *m. t. afferre et p. m. esse scio* Neap. Antiq. Crat. Vict. 1. Bened. — *m. t. afferre et p. multa scio* Lamb. Graev. Ern. — *m. t. afferre et praeparata mutare te perspicere scio* ex immani interpol. Ascens. Sch. 2. (10) ∾ del. *ad*, recte, puto, Lamb. Ego [ ].

impendet, quod videmur effugere, si ad constitutam diem decedemus.

2. *De pantheris, per eos, qui venari solent, agitur mandatu meo* [1] *diligenter; sed mira paucitas est: et eas, quae sunt, valde aiunt queri, quod nihil cuiquam insidiarum in mea provincia nisi sibi fiat; itaque constituisse dicuntur in Cariam ex nostra provincia decedere. Sed tamen sedulo fit, et in primis a Patisco* [2]. *Quidquid erit, tibi erit: sed quid esset, plane nesciebamus. Mihi, mehercule, magnae curae est aedilitas tua: ipse* [3] *dies me admonebat; scripsi enim haec ipsis Megalensibus* [4].

3. *Tu velim ad me de omni rei publicae statu quam diligentissime perscribas: ea enim certissima putabo, quae ex te cognoro.*

---

(1) Sic Lamb. Mart-Lag. Recte. cfr. *pro Sulla* §. 65. — *mandatum eo* Md. — *mandato meo* Ceteri. (2) — *Patischo* Md. Vict. 1. Res omnino incerta: utrum sit Cilix, ut vult Sch., an potius idem qui a Scriptore *Belli Alex.* c. 34. *Q. Patisius* nominatur. cfr. ibi Oudendorp. (3) — *ipsa* Cdd. aliq. Ald. Vict. 2. Lamb. contra Md. (4) — *Megalesiis* Lamb.

EPISTOLA XVI.
(ad Fam. II. 13.)

Argumentum.

De literarum infrequentia Caelium quasi molli brachio reprehendit Cicero; sed eundem excusat, culpa in tabellarios translata: quin laudat etiam ob earum, quas proxime acceperat, prudentiam et humanitatem §. 1. Cui quidem Epistolae (XIII) respondens, affirmat se Appio esse amicum; eiusque amicitiae causis expositis §. 2. falsam esse scribit quorumdam suspicionem quasi Cicero ab Appio discreparet. §. 3. Deinde otium civitatis sibi placere ait §. 4. Et Curionis inconstantiam a se praevisam esse significat §. 5. Denique se iam confecta Laodiceae iurisdictione in Ciliciam proficisci nuntiat §. 6. miroque se teneri desiderio urbis, suorum, Caelii potissimum; quem aedilem videre cupit §. 7.

Scripta est ante Non. Maias Cf. §. 6. fortasse una missa cum epistola ad Att. VI. 2. nam in utraque se iurisdictionem confecisse et in Ciliciam cogitare dicit. Quae quidem ad Atticum epistola scripta est inter Kal. Mai. et Non. Mai., ut coniicere licet ex his verbis §. 4. *Atque hoc foro, quod egi ex Idibus Febr. Laodiceae ad Kalend. Mai. omnium dioecesium praeter Ciliciae, mirabilia quaedam effecimus* --- §. 6. *Nonis Mai. in Ciliciam cogitabam.*

M. CICERO IMP. S. D. M. CAELIO AEDILI CUR.

1. *Raras tuas quidem — fortasse enim non perferuntur — sed suaves accipio literas: vel quas proxime acceperam, quam prudentes*[1]*! quam multi et officii et consilii! Etsi omnia sic*[2] *constitueram mihi agenda, ut tu admonebas: tamen*

(1) Sic Lamb. Sch. — *prudentis* ambigua scriptura Ceteri cum Md.
(2) — v. *sic* contra Md. Mart-Lag. Luen. collocant ante v. *agenda*.

EPISTOLA XVII.
(ad Fam. VIII. 11.)

Argumentum.

Quum Cicero, missis ad senatum literis (Cf. ad Fam. XV. 10 et 13.) supplicationes pro re in Amano monte bene gesta postulasset, C. Curio, tribunus plebis, Ciceronis cupidissimus, iratus senatui, quod ei potestas agendi cum populo eriperetur, fieri senatus consultum de supplicationibus non patiebatur. Postremo ventum est ad pactionem, permittente Curione senatus consultum fieri, modo nullae praeterea in reliquum annum supplicationes eriperentur. Qua tota de re, et de cuiusque sententia ac voluntate diligenter Caelius perscribit. Ergo hortatur Ciceronem ut pro suo cuique merito gratias agat: Paullo et Marcello coss. quod decreti auctores fuerint §. 1. Hirro, Catoni, Favonio et Curioni, quod, quum impedire possent, pro sua sententia non pugnaverint §. 2. Furnio autem et Lentulo et Balbo propter egregiam singulorum operam §. 3. Domitiis et Scipionibus, qui, quum decrevissent, confici nolebant, responsum esse ait a Curione §. 4. Porro rei publicae statum describit; nihil agi dicens nisi causam provinciarum et magnam esse contentionem inter Pompeium et Curionem de successore Caesari mittendo §. 5. Deinde significat quid in commentario rerum urbanarum, simul cum hac Epistola misso, collegerit §. 6. et pro curato Sittiano negotio gratias agit §. 7.

Videtur scripta esse mense Iunio; quum Cicero de supplicationibus iam rescisse videatur mense Quintili sic scribens ad Atticum (VI. 7. 2.) *Rhodum volo puerorum causa: inde quam primum Athenas: etsi Etesiae valde reflant: sed plane volo his magistratibus, quorum voluntatem in supplicatione sum expertus.* Haec enim Epistola, propter res utrique communes, Tarsi videtur scripta uno fere tempore quo epistola ad Caninium (ad Fam. II. 17.) data a. d. xvi. Kalend. Sextiles.

Caelius Ciceroni S.

1. Non diu, sed acriter nos tuae supplicationes torserunt: incideramus enim in difficilem nodum. Nam Curio tui cupidissimus, cui omnibus rationibus comitiales eripiebantur [1], negabat se ullo modo pati posse decerni supplicationes, ne quod [2] furore [3] Paulli adeptus [4] esset boni, sua culpa videretur amisisse et praevaricator causae publicae [5] existimaretur. Itaque ad pactionem descendimus: et confirmarunt consules se his [6] supplicationibus in hunc annum non usuros. Plane, quod utrisque consulibus gratias agas, est: Paullo magis certe. Nam Marcellus sic respondit ei, [*se* [7]] spem in istis supplicationibus non habere: Paullus, se omnino [8] in hunc annum non edicturum. 2. Renuntiatum nobis erat Hirrum diutius dicturum: prendimus eum: non modo non fecit, sed, quum de hostiis [9] ageretur et posset rem impedire, si, ut numeraretur [10], postularet, tacuit. Tantum

---

(1) — *cui - - eripiantur* Md. — *qui - - eripiantur* Bened. (2) — *ne quid* Md. — *ne si quid* Crat. Vict. 2. (3) — *favore* Lamb. (4) — *ademptus* Md. — *ademptum* Cdd. aliq. Weiske. Sch. Vide Manut. (5) — *publicae causae* Crat. (6) Sic Crat. Vict. 1 et 2. Lamb. Graev. Ern. Sch. — *confirmarunt cons. esse his* Md. — *confirmavit consul, se his* Weiske. — *confirmavit, consules esse his* Bened. (7) Sic Lamb. ∾ om. *se* Md. Crat. Vict. 1 et 2. Bened. — *respondit se* Ern. Sch. (8) — *omnibus* Sch. (9) Sic Md. Neap. Vict. 1 et 2. — *de hostibus* Antiq. Crat. Lamb. Graev. Ern. Bened. Sch. (10) scil. senatus. Sic Md. Vict. 1 et 2. Graev. Bened. — *numerarentur* Lamb. Ern. Sch. Utrumque satis perverse: quomodo enim tunc temporis *hostes*, scil. quod supplent, » occisi,'' poterant numerari? Recte vero, quum de numero hostiarum immolandarum ageretur, poterat rem impedire, si ut numeraretur » senatus,'' forsitan non nimis frequens, postulasset.

Catoni assensus est, qui de te locutus[1] honorifice, non decrerat supplicationes. Tertius ad hos Favonius accessit. Quare pro cuiusque natura et instituto gratiae sunt agendae: his, quod tantum[2] voluntatem ostenderunt; pro sententia, quum impedire possent, non pugnarunt: Curioni vero, quod de suarum actionum cursu tua causa deflexit.

3. Nam Furnius et Lentulus, ut debuerunt, quasi eorum res esset, una nobiscum circumierunt et laborarunt. Balbi quoque Cornelii operam et sedulitatem laudare possum. Nam cum Curione vehementer locutus est, et eum, si aliter fecisset, iniuriam Caesari facturum dixit: tum[3] eius fidem in suspicionem adduxit. 4. Decrerant [quidem], qui inique[4] transigi volebant, Domitii, Scipiones: quibus hac re ad intercessionem evocandam interpellantibus venustissime Curio respondit se eo libentius non intercedere, quod quosdam, qui decernerent, videret confici nolle.

5. Quod ad rem publicam attinet, in unam causam omnis contentio coniecta est, de provinciis: in quam adhuc incubuisse[5] cum senatu Pompeius

(1) Sic Graev. Fortasse: ∾ *qui etsi locutus.* — *qui et locutus* Md. Crat. Vict. 1. et 2. Bened. — *qui et de te loc.* Ern. — *qui etsi de te loc.* Sch. — *qui de te tam honor. loc.* Lamb. (2) — *tantum* Crat. Graev. Ern. Perverse; est: » qui voluntatem dumtaxat non decernendi tibi supplicationes ostenderunt, cet.'' (3) — *cum* Md. Ern. Bened. (4) Sic Graev. Item Lamb., sed ∾ om. *quidem*, quod ego [ ]. Item Ern. Sch.; sed hi ∾ *neque* pro *inique.* De Md. h. l. nihil notavit meus collator: sed probabile est, eum habere cum Vict. 2.: — *deserant, qui inique tr. vol.* — *desierant quidem, qui inique tr. vol.* Bened. — *Non deerant quidem, qui neque trans. vol.* Ascens. pr. Vict. 1. Iac. Gronov. — *Non deerant quidem, qui inique tr. v.* Crat. (5) Sic Vict. 1. Lamb. Graev. Ern. Sch. — *in quam adhuc est* (:) *incubuisse* Md. Bened. — *inquam adhuc. Incubuisse* Crat. Vict. 2.

videtur, ut Caesar Id. Novemb.[1] decedat. Curio omnia potius subire constituit, quam id pati: ceteras suas abiecit actiones. Nostri porro, quos tu bene nosti, ad extremum certamen rem deducere non audent[2]. Scena rei totius haec: Pompeius, tamquam Caesarem non impugnet, sed, quod illi aequum putet, constituat, ait Curionem quaerere discordias. Valde autem non vult et plane timet Caesarem consulem designari prius, quam exercitum et provinciam tradiderit. Accipitur satis male a Curione: et totus eius secundus consulatus exagitatur. Hoc tibi dico: si omnibus rebus prement Curionem; Caesar defendetur; intercessorem si[3] — quod videntur[4] — reformidarint[5], Caesar, quoad volet, manebit.

6. Quam quisque sententiam dixerit, in commentario est rerum urbanarum; ex quo[6] tu, quae digna sunt, selige: multa transi, in primis ludorum explosiones et funerum et ineptiarum ceterarum[7]. Plura habet utilia[8]. Denique malo in hanc partem errare[9], ut, quae non desideres, audias, quam quidquam, quod opus est, praetermittatur.

7. Tibi curae fuisse de Sittiano negotio[10], gaudeo.

---

(1) — *ante Idus Nov.* Crat. Vict. 2. Lamb. (2) — *audeant* Md. (3) Sic Md. Crat. Vict. 2. = *si interc.* Cett. praeter Lamb., qui: ∾ *sin interc.* (4) — *viderunt* Md. (5) — *reformidarunt* Md. Antiq. ∾ *reformidabunt* Neap. Vict. 2. Lamb. Bened. (6) — *e quo* Crat. Lamb. (7) — *cet. inept.* Crat. Lamb. (8) Sic Crat. Vict. 1. Lamb. Graev. Ern. Bened. — *ut illa* Md. Vict. 2. — *inutilia* Neap. — *ceterarum plura habet futilia* (Weiske) Sch. (9) — *peccare* Lamb. (10) — *fuisse Sitianum negotium* Lamb.

Sed, quoniam[1] suspicaris, minus certa fidé eos tibi visos, tamquam procurator, sic agas, rogo.

(1) Sic scripsi. — *quo* cum lin. Md. — *quom* Vict. 2. — *quum* Vict. 1. Graev. Ern. Bened. Sch. — *quando* Crat. Lamb. — *quomodo* Neap. Antiq. (— *quando suspicor* Luen.) Non deerunt, quibus placeat: ∾ *quoniam suspicor*; vulgatae sententia est, quoniam ex tua epistola vidi, te suspicari, eos minus certa fide esse.

EPISTOLA XVIII.
(ad Fam. VIII. 13.)

Argumentum.

Caelius gratulatur Ciceroni affinitatem Dolabellae, qui Tulliam, eius filiam duxerat; cuius Dolabellae vitia iuvenilia aut iam deposita esse dicit aut mox depositum iri confidit §. 1. Deinde de Curionis tribuni plebis intercessione et de provinciis quid actum sit, exponit §. 2. Denique Hortensium animam agere nuntiat §. 3.

Hanc non multo post superiorem oportet esse scriptam, quia Cicero ad utramque simul respondet Ep. XX, quae videtur simul missa esse cum epistola ad Att. VI. 6. in qua nuntium de Hortensii acerbissimo casu accepisse significat §. 2. *De Hortensio te certo scio dolere: equidem excrucior. Decreram enim cum eo valde familiariter vivere.* De morte autem Hortensii demum allatum est Ciceroni, *quum e Cilicia decedens, Rhodum venisset*, ut ipse scribit in Brut. c. 1.

Caelius Ciceroni S.

Gratulor tibi affinitate [1] viri medius fidius optimi: nam hoc ego de illo existimo. Cetera porro, quibus adhuc ille sibi parum utilis fuit, et aetate iam sunt decussa [2], et consuetudine atque auctoritate tua, pudore [3] Tulliae, si qua restabunt, confido celeriter sublatum iri. Non est enim pugnax in vitiis neque hebes ad id, quod melius sit, intelligendum. Deinde — quod maximum est — ego illum valde amo.

---

(1) ~ *affinitatem* Lamb. Luen. (— *tibi medius fidius affinitate* Crat.) (2) Sic e Є. Colucii Salutati eademque I. F. Gronovii Vict. 2. Bened. Sch. — *sunt de causa* Md. — *sunt decursa* Crat. Vict. 1. Lamb. Graev. Ern. (3) Sic Md. Antiq. Crat. Vict. 1 et 2. Lamb. Bened. — *et pud.* Neap. Graev. Ern. Sch.

2. Voles, Cicero, Curionem[1] nostrum lautum intercessionis de provinciis exitum habuisse. Nam quum *de*[2] intercessione referretur, quae relatio fiebat ex senatus consulto, primaque M. Marcelli sententia pronuntiata esset, qui agendum cum tribunis pl. censebat: frequens senatus in alia omnia iit. Stomacho est scilicet Pompeius[3] Magnus nunc ita languenti, ut vix id, quod sibi placeat, reperiat. Transierant illuc, ut ratio esset eius habenda, qui neque exercitum neque provincias traderet[4]. Quemadmodum hoc Pompeius laturus sit, quum cognoscat[5], quidnam rei publicae futurum[6] sit, si * * * aut non curet[7], vos senes divites videritis.

3. Q. Hortensius, quum has literas scripsi, animam agebat.

---

(1) Sic Md. Antiq. Bened. *Cicero* bis sic in *Ep.* 16. [h. Ed. *Ep.* XXIV. 1 et 7.]: nec cogitandum h. l. de stulto Md. more praenomina prave explicandi. — *Voles C. Curionem* Sch. — *Velles C. Curionem* Crat. Vict. 1. Ern. — *Velles, Cicero, Curionem* Graev. — *Vides, Cicero, Curionem* Neap. Vict. 2. Lamb. (2) — om. *de* Md. Bened. (3) — del. *Pompeius* Lamb. — del. *scilicet Pomp.* Lall. (4) Sic Vict. 2. Graev. — *tradere vellet* Ern. Sch. — *ut nec ratio -- traderet* Crat. Vict. 1. (— *ut ratione eius habenda qui exercitum neque prov. tradere* Md. — *vel ratione eius habenda, qui exercitum neque prov. traderet* Bened.) (5) — *laturus iste cum cognoscam* Md. Bened. (6) — *futurus* Md. Lall. Bened. (7) Sic mance Md. Vict. 2. Graev. — *sit, si autem non curet* e Codd. Lall. Bened. — *sit, si non curet* de Pantagathi G. Sch. — *sit, si aut non possit, aut non curet* ex antiquo suppl. Neap. Crat. Lamb. Ern. — *aut quidnam reip. futurum sit, si non curet* Rostii susp. *Spec.* 2. p. 9.

EPISTOLA XIX.
(ad Fam. II. 12.)

Argumentum.

Sollicitudinem suam demonstrat Cicero ob res urbanas §. 1. de quibus quum nihil literarum a Caelio acceperit, hortatur ipsum ut de omni statu rei publicae scribat §. 2. Addit de Diogenis et Philonis, quos Caelius in Ciliciam miserat (Cf. Ep. VIII. 10.), itinere §. 3. Denique hortatus Caelium, ne provinciales honores urbanis magistratibus praeferat, dolet quod sibi non licuerit in urbe manere §. 4. urbis quippe fructus praeferendos esse censens provinciae et vel triumpho §. 5. Claudens epistolam, rogat iterum ut obviam sibi literas mittat §. 6.

Hanc Epistolam Cicero scripsit quo tempore iam de decessione cogitabat, quod ait §. 2. *Quare etsi, quum tu haec leges, ego iam annuum munus confecero: tamen obviae mihi velim sint tuae literae, quae me erudiant de omni re publica, ne hospes plane veniam;* et §. 6. *Sed, ut spero, propediem te videbo.* De annuo autem munere prope confecto scribere non potuit ante Iun. med. nam annus provincialis prid. Kal. Sext. inceperat, quo die se Laodiceam venisse scribit ad Att. V. 15. 1. —. Et videtur haec Epistola *ex castris* missa esse una cum epistola ad Att. VI. 3. in qua eum ad castra iam pervenisse legimus §. 6. In utraque se rerum Romanarum ignarum admodum significat. *De urbanis rebus scilicet plura tu scis:* ita scribit in illa ad Atticum epistola §. 4. *saepius et certiora audis. Equidem doleo non me tuis literis certiorem fieri. Huc enim odiosa afferebantur de Curione, de Paullo: non quo ullum periculum videam stante Pompeio, vel etiam sedente; valeat modo: sed mehercule Curionis et Paulli, meorum familiarium, vicem doleo. Formam igitur mihi totius rei publicae, si iam es Romae aut quum eris, velim mittas, quae mihi obviam veniat, ex qua me fingere possim et praemeditari, quo animo accedam ad urbem. Est enim quiddam advenientem non esse peregrinum atque hospitem.*

M. Cicero Imp. S. D. M. Caelio aedili cur.

1. *Sollicitus equidem eram de rebus urbanis: ita tumultuosae conciones, ita molestae Quinquatrus afferebantur: nam citeriora nondum audiebamus. Sed tamen nihil me magis sollicitabat, quam in his molestiis non me, si quae*[1] *ridenda essent, ridere tecum: sunt enim multa; sed ea non audeo scribere.* 2. *Illud moleste fero, nihil me adhuc*[2] *his de rebus habere tuarum literarum. Quare etsi, quum tu*[3] *haec leges, ego iam annuum munus confecero: tamen obviae mihi velim sint tuae literae*[4], *quae me erudiant de omni re publica, ne hospes plane veniam. Hoc melius, quam tu, facere nemo potest*[5].

3. *Diogenes tuus, homo modestus, a me cum Philone Pessinunte*[6] *discessit. Iter habebant ad Adiatorigem*[7]: *quamquam omnia nec benigna nec copiosa cognorant*[8].

---

(1) Sic Md. Vict. 1 et 2. Graev. Ern. — *si qua* Antiq. Crat. Lamb. Bened. Mart-Lag. Sch. (2) — *adhuc me* Mart-Lag. contra Md. (3) — *tu quum* Mart-Lag. Sch. contra Md. (4) Sic Md. Vict. 1 et 2. Mart-Lag. — *literae tuae* Crat. Graev. Ern. Bened. Sch. — *sint*, *velim*, *tuae lit.* Lamb. (5) — *potest nemo* Mart-Lag. Sch. contra Md. (6) ∾ *Pessinunta* Mart-Lag. Є. Sch. Res incerta. (7) Sic scripsi de Taurelli Є. — *habebant adiatoregem* Md. — *hab. ad Deiotarum regem* Є. Edd. praeter Mart-Lag. et Sch., qui Є.: — *ab Adiatorige.* Sed vide, an recte dicatur *iter habere ab aliquo.* Nostrum firmatur a Caesare *B. C.* 1, 14. *Pompeius iter ad legiones habebat.* ib. 51. *iter habebant ad Caesarem.* Cfr. ib. *Lib.* 3, 11. *iter ex Macedonia in hiberna Apolloniam habebat.* Tum Lall.: — *ad Lathurum regem.* (8) — *quem nec benignum nec copiosum cognorant* Mart-Lag. Є. Sch., obliterato elegantissimo isto usu v. *omnia* et *omnes res.* cfr. Caesarem *B. C.* 1, 26. *tamen omnibus rebus in eo perseverandum putabat*

4. *Urbem, urbem* [1], *mi Rufe, cole et in ista luce vive. Omnis peregrinatio — quod ego ab adolescentia iudicavi — obscura et sordida* [est [2]] *iis, quorum industria Romae potest illustris esse. Quod quum probe scirem, utinam in sententia permansissem! Cum una mehercule ambulatiuncula atque uno sermone nostro omnes fructus provinciae non confero.* 5. *Spero me integritatis laudem consecutum. Non* [3] *erat* [4] *minor ex contemnenda, quam est* [5] *ex conservata provincia. Spem* [6] *triumphi? inquis. Satis gloriose triumpharem* [7]. *Non* [8] *essem quidem tamdiu* [9] *in desiderio rerum mihi carissimarum.* 6. *Sed, ut spero, propediem te videbo. Tu mihi obviam mitte epistolas te dignas.*

---

(1) — om. alterum *urbem* Neap. Antiq. Crat. Lamb. contra Md. (2) — abest *est* a Md. Graev. Ante v. *et sordida* collocavit Mart-Lag. Toleravi cum [ ]. (*his* Vict. 2. contra Md.) (3) — *quae non* Mart-Lag. Luenem. contra Md. (4) — *erit* Crat. (5) Sic Md. Graev. Bened. Mart-Lag. Sch. — om. *est* Neap. Antiq. Vict. 1 et 2. Lamb. Ern. (6) Sic Md. a pr. manu. Antiq. Vict. 1 et 2. Graev. Ern. Bened. — *spes* Md. a sec. m. Neap. Ald. Lamb. Mart-Lag. Sch. (7) — *triumpharam* e Cd. Torgav. Bened. Mart-Lag. Sch. contra Md. (8) Sic Md. Beng. Bened. — *si non* Neap. Antiq. Vict. 1 et 2. Lamb. Graev. Ern. — *nec* Mart-Lag. Sch. (9) — *tamdiu quidem* Neap. Antiq. Lamb. Mart-Lag. Sch. contra Md.

EPISTOLA XX.
(ad Fam. II. 15.)

Argumentum.

Ad tres Caelii epistolas (XIV. XVII et XVIII.) respondens, primum gratias agit pro confecta supplicatione §. 1. Porro laetatur Dolabellam ab eo laudari et amari §. 2. Sed sollicitum se esse fatetur de re publica propter civiles discordias §. 3. Deinde exponit cur Caelium Caldum, adolescentem, quaestorem provinciae praeposuerit §. 4. idque se fecisse ait exemplo Pompeii et Caesaris §. 5. Denique addit quaedam de Ocella et Caelii rebus gestis §. 6. Claudit epistolam, sperans fore ut eum celeriter videat §. 7.

Videtur una missa esse cum epistola ad Appium Pulchrum (ad Fam. III. 12.), quae scripta est Sidae a. d. III. Nonas Sextiles, et cum epistola ad Att. VI. 6. In utraque enim scribit de nova Dolabellae affinitate, de sua decessione et de Caelio provinciae a se praeposito.

M. Cicero Imp. S. D. M. Caelio aedili cur.

1. *Non potuit accuratius agi nec*[1] *prudentius, quam est actum*[2] *a te cum Curione de supplicatione: et, hercule*[3], *confecta res ex sententia mea est*[4], *quum celeritate, tum quod is, qui erat iratus, competitor tuus et idem meus assensus est ei, qui ornavit res nostras divinis laudibus. Quare scito me sperare ea, quae sequuntur; ad quae tu te para.*

---

(1) — *neque* Lamb. (2) Sic Md. Crat. Vict. 1 et 2. Mart-Lag. — *actum est* Lamb. Graev. Ern. Bened. Sch. (3) Sic Md. Crat. Vict. 1 et 2. Lamb. Bened. = *hercle* Mart-Lag. Sch. — *mehercule* Graev. Ern. (4) Sic Md. Vict. 1 et 2. Graev. Ern. Bened. — *est ex mea sent* Lamb. — *est ex sent. mea* Mart-Lag. Sch.

2. *Dolabellam a te gaudeo primum laudari, deinde etiam amari. Nam ea, quae speras Tulliae meae prudentia temperari posse, scio, cui tuae epistolae respondeant. Quid si meam legas, quam ego tum ex tuis literis misi ad Appium? Sed quid agas? sic vivitur. Quod actum est, dii approbent. Spero fore iucundum generum nobis; multumque in eo tua nos humanitas adiuvabit.*

3. *Res publica me valde sollicitat. Faveo Curioni: Caesarem honestum esse*[1] *cupio: pro Pompeio emori possum. Sed tamen ipsa re publica nihil mihi est carius: in qua tu non valde te iactas: districtus*[2] *enim mihi videris esse, quod et bonus civis et bonus amicus es.*

4. *Ego de provincia*[3] *decedens quaestorem Caelium praeposui provinciae. «Puerum?" inquis*[4]. *At quaestorem: at nobilem adolescentem: at omnium fere exemplo: neque erat superiore honore usus*[5], *quem praeficerem. Pomptinus*[6] *multo ante discesserat: a Quinto fratre impetrari non poterat; quem tamen si reliquissem, dicerent iniqui non me plane post annum, ut senatus voluisset, de provincia decessisse, quoniam alterum me reliquissem. Fortasse etiam illud adderent, senatum eos voluisse provinciis praeesse, qui antea non praefuissent;*

(1) — *Caesari honestissime c.* Margo Crat. — *Caesari honestissime esse c.* Lamb. (2) — *destr.* Graev. (3) — om. *provinciae* Crat. (4) Sic Md. Crat. Vict. 1 et 2. Lamb. Bened. ∾ *inquies* Graev. Ern. Mart-Lag. Sch. (5) — *ullus* in Md. superscr. v. *usus.* ∾ *superior honore ullus* Margo 1584. Mart-Lag., ut fere [*L.* 2.] *Ep.* 18. §. 2. *habes neminem honoris gradu superiorem.* (6) Sic Md. Vict. 1 et 2. (Lamb. Ern. Bened. Hi: *Pomtinus*) — *Pontinius* Graev. — *Pomptinius* Mart-Lag. Sch.

fratrem meum triennium Asiae praefuisse. Denique nunc sollicitus non sum: si fratrem reliquissem, omnia timerem. 5. *Postremo non tam mea sponte, quam potentissimorum duorum exemplo, qui omnes Cassios Antoniosque complexi sunt, hominem*[1] *adolescentem non tam allicere volui, quam alienare nolui. Hoc tu meum consilium laudes necesse est: mutari enim non potest.*

6. *De Ocella parum ad me plane scripseras et in actis non erat. Tuae res gestae ita notae sunt, ut trans montem Taurum etiam de Matrinio*[2] *sit auditum.*

7. *Ego, nisi quid me Etesiae morabuntur, celeriter, ut spero, vos videbo.*

---

(1) ∾ *nobilem* quasi e Graev. *Var. Lectt.*, ubi non est, sed probabili Є. Ern. Sch. (2) Sic Md. Vict. 1 et 2. Lamb. Graev. Ern. Bened. — *de M. Atratinio* ex Rutgersii Є. Mart-Lag. Sch. — *de matrimonio* Cdd. Regii. Neap. Antiq. Ald. Lall.

EPISTOLA XXI.
(ad Fam. VIII. 12.)

Argumentum.

Queritur Caelius de Appii Claudii, qui cum L. Pisone censuram gerebat, non ingrato solum animo, sed gravissima etiam iniuria §. 1. narratque se, quum reconciliare sibi vellet eius gratiam, comperisse, Appium esse sibi inimicum et id moliri ut accusatores sibi apponeret §. 2. Quod quum parum procederet, nuntiat se Appium antevertisse et lege Scantinia postulasse, approbante populo §. 3.

Quae deinde sequuntur §. 4. videntur fuisse scripta in scheda singulari, eidem tamen tradita servo; qui, acceptis prioribus literis, diutius in urbe fuerit moratus. In his Caelius, de mora servi questus, nihil novi esse scribit, praeterquam quod Domitius, auguratum petens, in timore sit ne repulsam ferat; id quod accidit (Cf. Ep. seq.) Denique se Ciceronem exspectare ait atque eum quam primum videre cupere.

Prior pars Epistolae scripta est finitis ludis Circensibus (cf. §. 3.) i. e. post XIII. Kal. Octobres. — Altera pars *quadraginta diebus* post; si lectio vera sit §. 4.

Caelius Ciceroni S.

1. Pudet me tibi confiteri et queri de Appii, hominis ingratissimi, iniuriis, qui me odisse, quia magna mihi debebat beneficia, coepit: et, quum homo avarus, ut ea solveret, sibi imperare non posset, occultum bellum mihi indixit: ita occultum tamen, ut multi mihi renuntiarent et ipse facile animadverterem male eum de me cogitare. Postea-

quam vero[1] comperi eum collegium tentasse, deinde aperte cum quibusdam locutum; cum L. Domitio, ut nunc est, mihi inimicissimo homine[2], deliberare; velle hoc munusculum deferre Cn. Pompeio: ipsum ut prenderem[3] et ab eo deprecarer iniuriam, quem vitam mihi debere putaram[4], impetrare a me non potui. 2. Quid ergo est? Tamen quasi aliquot [*cum*] amicis[5], qui testes erant meorum in illum meritorum, locutus sum: posteaquam illum ne cui[6] satisfaceret quidem me dignum habere sensi, malui collegae eius, homini alienissimo mihi et propter[7] amicitiam tuam non aequissimo, me obligare, quam illius simiae vultum subire. Id postquam resciit, excanduit[8] et me causam inimicitiarum quaerere clamitavit, ut, si mihi[9] in pecunia minus satisfecisset, per hanc speciem simultatis eum consectarer. Postea[10] non destitit arces-

(1) — *Postea vero quam* Crat. (2) — del. *homine* Lamb. (3) Sic de Gronovii 𝔊. Ern. Sch. — *ipsum reprenderem* (Md. Vict. 2.) vel *reprehenderem* Ceteri: praeter Crat., qui: *tum ipsum reprehendente* et Lamb., qui: — *ipsum ut repr.* (4) Sic (Md.?) Vict. 1. Lamb. Graev. Bened. — *putarem* Crat. Vict. 2. Ern. Sch. (5) Sententia est: »tamen eo descendi, ut, quasi vellem reconciliare mihi eius gratiam, leviter saltem ea de re cum aliquot eius amicis loquerer.'' (*feci almeno sembianza di volermi con esso riconciliare.*) — *tamen quasi aliquod am.* Md. — *tamen quasi aliquot am.* Vict. 2. — *tamen quasi aliquid: amicis* Bened. — *tum tamen cum aliquot am.* Lamb. *tum quidem aliquot am.* Crat. Vict. 1. Graev. — *tum quidem cum aliquot* Ern. Sch. *cum* autem, quod vix videtur abesse posse, facilius post v. *aliquot* excidit, quam ante idem. (6) = *quoi* Md. Vict. 2. Beng. Bened. (7) — *mihique propter* Lamb. (8) Sic Neap. Antiq. Crat. Vict. 1. Lamb. Bened. — *scanduit* Md. Vict. 2. — *incanduit* Graev. Ern. Sch. — *incalluit* Margo Crat. (9) — *clamitavit, quasi quod mihi* Lamb. (10) — *Postea vero* Crat.

sere Polam[1] Servium, accusatorem, inire cum Domitio consilia. 3. Quibus quum parum procederet, ut ulla lege mihi ponerent[2] accusatorem, compellari ea lege me voluerunt, qua dicere[3] non poterant: insolentissimi[4] homines, summis Circensibus ludis meis, postulandum me lege Scantinia curant. Vix hoc erat Pola elocutus[5], quum ego Appium censorem eadem lege postulavi. Quod melius caderet, nihil vidi. Nam sic est a populo et non infimo quoque approbatum, ut maiorem Appio dolorem fama, quam postulatio, attulerit. Praeterea coepi sacellum, in domo quod est, ab eo petere.

4. Conturbat me mora servi huius, qui tibi literas attulit. Nam acceptis prioribus literis, amplius quadraginta[6] mansit. Quid tibi scribam, nescio. Scis Domitio diem timori esse. Te exspecto[7] valde et quam primum videre cupio. A te peto, ut meas iniurias proinde[8] doleas, ut me existimas et dolere et ulcisci tuas solere[9].

---

(1) Sic Lamb. Ern. Bened. Sch. — *palam* Md. Crat. Vict. 1 et 2. Graev. (= *accersere* Md. Crat. Vict. 1 et 2.) (2) Sic Lamb. Graev. Ern. Sch. — *poneret* Md. Crat. Vict. 1 et 2. Bened. (3) — *qua ipsi dicere* Sch. (4) — *insolentissime* Md. Bened. (5) Sic Vict. 2. Lamb. Ern. (Sch.) — *Po.ae locutus* Md. Bened. — *Pola locutus*, Graev., sicque volebat Sch. — *erat praelocutus* Crat. Vict. 1. (6) Fortasse: — *amplius dies qu.* = *a. qu. dies* Crat. Lamb. — *a. qu. diebus* e Cdd. Regg. Lall. (7) Sic Vict. 1. — om. *te* Neap. Antiq. Vict. 2. Bened. — *exspecto te v.* Crat. Graev. Ern. Sch. ∾ *Scis Domitio comitiorum diem timori esse* cet., ingeniose Sch. Є. Scil. omnes hae turbae ortae e corruptela Md.: — *Scis Domitio diem tu morae est expecto valde.* (8) = *perinde* Crat. Ern. Sch. contra Md. (9) — *sorore* Md.

EPISTOLA XXII.

(ad Fam. VIII. 14.)

Argumentum.

Multa complectitur haec Epistola. Primum nuntiat L. Domitium, qui auguratum petebat (Cf. Ep. XXI. 4.) tulisse repulsam, praelato Antonio: seque haberi a Domitio eius iniuriae auctorem, et eadem de causa Saturninum a Cn. Domitio in iudicium esse vocatum §. 1. Deinde ad arma rem spectare ait propter contentionem Caesaris et Pompeii de exercitibus dimittendis §. 2. et quaedam de capessendis alterutrius partibus disputat §. 3. Tum ridiculam esse scribit Appii censoris diligentiam in emendandis civitatis moribus: quam rem si ridere velit, hortatur esse properandum §. 4. Curionem contra sapienter fecisse, qui de stipendio Pompeii (Cf. Ep. V. 4.) remiserit §. 5. Denique, quid de futuro rei publicae statu auguretur, exponit §. 6.

Haec Epistola quo die scripta sit, incertum est: sed eam recentiorem esse superiore, ex iis, quae de Domitio narrat, videmus. Tum vero nuntium de Appio censore, *acerrime agente de signis et tabulis* (§. 4.) certe ante Id. Oct. accepit Cicero, quippe qui eo die sic scripsit ad Att. VI. 9. 5. *Tu mihi -- perscribas -- de censoribus, maximeque de signis, tabulis, quid fiat, referaturne.*

Caelius Ciceroni S.

1. Tanti non fuit Arsacen capere, Seleuceam [1] expugnare, ut earum rerum, quae hic gestae sunt, spectaculo careres. Nunquam tibi oculi doluissent,

---

(1) Sic Md. Crat. Vict. 2. Lamb. Ern. Sch. (hi duo et Crat.: = *Seleuciam.*) — *et Sel.* Graev. Bened.

si in repulsa Domitii vultum vidisses. Magna illa comitia fuerunt et plane studia[1] ex partium sensu apparuerunt: perpauci necessitudinem secuti officium praestiterunt. Itaque mihi est Domitius inimicissimus, ut ne familiarem quidem suum quemquam tam oderit, quam me: atque eo magis, quod per iniuriam sibi putat ereptum, cuius[2] ego auctor fuerim. Nunc furit tam gavisos homines suum dolorem, † unumque me studiosiorem Antonii. Nam[3] Cn. Saturninum adolescentem ipse Cn. Domitius reum fecit, sanequam superiore a vita[4] invidiosum: quod iudicium nunc in exspectatione est, etiam[5] in bona spe, post Sex. Peducaei absolutionem.

2. De summa re publica[6] saepe tibi scripsi, me annum pacem[7] non videre: et quo propius ea contentio, quam fieri necesse est, accedit, eo clarius id periculum apparet. Propositum hoc est, de quo, qui rerum potiuntur, sunt dimicaturi: quod[8] Cn. Pompeius constituit non pati C. Caesarem consulem aliter fieri, nisi exercitum et provincias tradiderit:

---

(1) — *pl. illa studia* Crat. (2) = *quoius* Md. Vict. 2. Graev. Bened. (3) — *unumque move studiosorem* (sic) *Antonianam Cn. S.* Md. — *unumque movet studiosiorem Antonii. Nam Cn. S.* Bened. Sane improbabilis etiam vulgata et obscurae sententiae. Venit in mentem: *dolorem, ad unumque omnes studiosiores Antonii. Nam.* (4) Sic Graev. Seqq. — *superiore ea vita* Md. Neap. Antiq. — *superiore vita* Crat. Vict. 1 et 2. — *a superiore vita* Lamb. (5) Sic Vict. 2. Lamb. Graev. Sch. — *non exspectationem inest etiam* Md. — *non exspectatione inest etiam* Bened. — *nunc in exspectatione, inest etiam* Crat. Vict. 1. Ern. (6) — *rei publicae* Crat. (7) — Sic Md. Vict. 1 et 2. Graev. Ern. Bened. An *annuam?* ~ *me annum ultra pacem* Luen. — *me pacem annum ultra* Sch. — *me etiamnum pacem* Lamb. (8) — *apparet propositum: quod* ceteris deletis Sch. (— *quo* pro *quod* Vict. 1. contra Md.)

Caesari autem persuasum est se salvum esse non posse, si ab exercitu recesserit. Fert illam tamen conditionem, ut ambo exercitus tradant. Sic illi amores [1] et invidiosa [2] coniunctio non ad occultam recidit [3] obtrectationem, sed ad bellum se erupit [4]; neque, mearum rerum quid consilii [5] capiam, reperio: quod non dubito [6], quin te quoque haec deliberatio sit perturbatura. Nam mihi cum hominibus his et gratia et necessitudo est; tum [7] causam illam, non homines [8] odi. 3. Illud te non arbitror fugere, quin homines in dissensione domestica debeant, quamdiu civiliter sine armis [9] certetur [10], honestiorem sequi partem: ubi ad bellum et castra ventum sit, firmiorem, et id melius statuere, quod tutius sit. In hac discordia video Cn. Pompeium senatum quique res iudicant secum habiturum: ad Caesarem omnes, qui cum timore aut mala spe vivant, accessuros: exercitum conferendum non esse. Omnino satis spatii [11] sit ad considerandas utriusque

---

(1) — *illi iam amores* Crat. e geminat. (2) — *ingens* Margo Crat. (3) Sic Vict. 2. Lamb. — *recedit* Ceteri cum Md. (4) Sic Md. Vict. 2. Graev. — *ad b. erupit* Vict. 1. — *ad b. erumpit* Lamb. — *ad b. se erumpit* Ern. Bened. Sch. — *ad bellum se rumpit* Crat. (5) Sic Neap. Crat. Lamb. Bened. — *quod consilii* Md. Vict. 1 et 2. Graev. — *quod consilium* Ern. Sch. (6) — *reperio, neque dubito* Lamb. (7) — *gratia et necessitudinem cum* Md. — *gratia et necessitudine, cum* Bened. — *et gratia est et necessitudo: tum tantum c.* Lamb. Ut nos, Crat. Vict. 1 et 2. Graev. Ern. Sch. (8) — *unde homines o.* Md. Bened. (hic cum interrog.) (9) — v. *sine armis* Ern. [ ]. — del. Sch. (10) Sic Neap. Antiq. Crat. Lamb. Ern. Bened. Sch. — *cernetur* Md. Margo Crat. Vict. 1 et 2. Graev. (11) — *satis pati sit* Md. — *sat spatii sit* Crat. Vict. 2. Bened. (Fortasse: *satis spatii est;* nam quid coniunctivus hic sibi velit, haud video.)

copias et eligendam partem[1].

4. Prope oblitus sum, quod maxime fuit scribendum. Scis Appium censorem hic ostenta facere? de signis et tabulis, de agri[2] modo, de aere alieno acerrime agere? Persuasum est ei censuram lomentum aut nitrum esse. Errare mihi videtur: nam sordes[3] eluere vult; venas sibi omnes et viscera aperit. Curre, per deos atque homines! et quam primum haec risum veni: legis Scantiniae iudicium apud Drusum fieri, Appium de tabulis et signis agere. Crede mihi, est properandum.

5. Curio noster sapienter id, quod remisit de stipendio Pompeii, fecisse existimatur.

6. Ad summam, quaeris, quid putem futurum. Si alteruter eorum ad Parthicum bellum non eat, video magnas impendere discordias, quas ferrum et vis iudicabit[4]. Uterque et[5] animo et copiis est paratus. Si sine tuo[6] periculo fieri posset, magnum et iucundum tibi Fortuna spectaculum parabat.

---

(1) Sic Antiq. Crat. Vict. 1 et 2. Lamb. Bened. ∾ *et ad elig. partem* Neap. (quae addit gloss. *tutiorem*) Ern. Sch. — *et ad eligendas partes* Graev. Scil. Md.: — *utrisque* (sic) *copias et eligendas utrisque copias et eligendam partem.* (2) — *agris* Md. Crat. Vict. 1 et 2. (3) ∾ *nam dum* s. Lamb. (4) — *vindicabit* Crat. (5) — om. *et* Graev. Ern. Sch. (6) Sic Vict. 1. Graev. Ern. Sch. — *suo* Md. Crat. Bened. — *summo* Vict. 2. Lamb. Lall.

EPISTOLA XXIII.

(ad Fam. VIII. 15.)

Argumentum.

Hanc Epistolam Caelius scripsit anno sequenti post superiores, (705.) quo ea evenerunt, quae praedixerat Ep. XXII. 6. scribens *video magnas impendere discordias, quas ferrum et vis iudicabit.* Igitur bello civili Pompeium inter et Caesarem orto, Caelius (ut re ipsa comprobaret, quod in eadem Ep. §. 3. scripserat »*Illud te non arbitror fugere, quin homines in dissensione domestica debeant, quamdiu civiliter sine armis certetur, honestiorem sequi partem: ubi ad bellum et castra ventum sit, firmiorem, et id melius statuere, quod tutius sit*") tutiorem partem, non honestiorem secutus, Pompeium vituperat, Caesarem eiusque milites laudat §. 1. Addit tamen, sollicitum se esse, nec admodum delectari gloria sua §. 2. Et, ostendens se perquam cupidum esse Ciceronis conveniendi et cum eo colloquendi §. 3. dolet, esse sibi cum cohortibus per nives iter faciendum in Liguriam §. 4.

Scripta incerto die; ante tamen, quam Pompeius Italiam relinquens a Brundisio conscendit Cf. §. 2. Venerat scilicet Brundisium circa v. Kal. Mart. (Cf. ad Att. VIII. 9. 4.) indeque cum omnibus, quas habebat, copiis profectus est a. d. xvi. Kalend. April. Cf. ad Att. IX. 15. A. §. 1.

Caelius Ciceroni S.

1. Ecquando tu hominem ineptiorem, quam tuum Cn. Pompeium vidisti, qui tantas [1] turbas, qui [2] tam nugax esset, commorit? Ecquem autem Caesare nostro acriorem in rebus gerendis, eodem in

(1) — *quid tantas* Md. Bened. (2) — *quum* Sch.

victoria temperatiorem aut legisti aut audisti [1]? Quid est? nunc [2] tibi nostri milites, qui durissimis et frigidissimis locis, teterrima hieme, bellum ambulando confecerunt, malis orbiculatis esse pasti videntur [3].

2. Quid iam [4]? inquis. Gloriose omnia. Si scias [5], quam sollicitus sum [6], tum hanc [7] meam gloriam, quae ad me nihil pertinet, derideas: quae tibi exponere nisi coram non possum; idque celeriter fore spero. Nam me, quum expulisset ex Italia Pompeium, constituit ad urbem vocare: id quod iam existimo [8] confectum, nisi si [9] maluit Pompeius Brundisii circumsederi [10]. 3. Peream, si minima causa est properandi isto mihi, quod te videre et omnia intima conferre [11] discupio. Habeo autem quam multa. Hui vereor, quod solet fieri, ne, quum te videro, omnia obliviscar. 4. Sed tamen quodnam ob [12] scelus iter mihi necessarium retro ad Alpes versus incidit? Ideo [13], quod Intimelii in armis sunt, neque de magna causa. Bellienus, verna Demetrii, qui ibi cum praesidio erat, Domitium quendam, nobilem illic [14], Caesaris hospitem, a contraria factio-

(1) — *vidisti* Vict. 1. contra Md. (2) ∾ *non* Lamb. (3) — *videantur* Ern. (4) — *Quid tum?* Sch. (5) — *gloriose. Immo si sc.* Lamb. (6) Sic Md. Crat. Vict. 1 et 2. Bened. ∾ *sim* Lamb. Graev. Ern. Sch. (7) — *non hanc* dubia Gronovii susp. *Observv.* 3, 2. p. 340. (8) — *idque iam* Crat. (9) — om. *si* Crat. Lamb. (10) Sic Graev. Seqq. — *Pompeius -- circumsedere* Md. — *Pompeium -- circumsedere* Neap. Antiq. Crat. Vict. 1 et 2. Lamb. (11) — *int. tecum conf.* Lamb. (12) — *sed tum quam ob* Md. ∾ *sed tamen quantum ob* Bened. (13) Sic Lamb, In eandem 𝔈. rursus incidit Hand *Tursell.* 1, p. 155., adstipulante Beiero. — *Adeo* Cett. cum Md. (14) — *illi* Md. Antiq. Graev. Bened.

ne nummis acceptis, comprehendit et strangulavit. Civitas ad arma iit: eo nunc cum cohortibus[1] mihi per nives eundum est. Usquequaque, inquis[2], se Domitii male dant[3]. Vellem quidem Venere prognatus tantum animi habuisset in vestro Domitio, quantum Psecade natus[4] in hoc habuit. Ciceroni F. S. D.

---

(1) Sic Vict. 2. — *eo num cohortibus* Md. Bened. (hic cum interrog.) — *eo nunc cum quattuor coh.* Lamb. Sed numerus incertus est. — *eo cum quattuor coh.* Crat. Graev. Ern. Sch. — *eo cum coh.* Vict. 1. (2) ∾ *inquies* Vict 1. Graev. Ern. Sch. contra Md. (3) Sic Bened. de Graevii susp. — *se Domitii mali dant* Md. Vict. 2. Graev. — *Domitii mali dant* Vict. 1. Ern. Sch. — *se Dom. male habent* Crat. Lamb. (4) de Pantagathi Є. Lamb. Graev. Ern. Sch. — *quantum ipse cadenatus* Md. Vict. 2. — *qu. ipse catenatus* Neap. Crat. Vict. 1. Bened.

EPISTOLA XXIV.
(ad Fam. VIII. 16.)

Argumentum.

Pulso ex Italia Pompeio Cicero ad Caelium scripserat epistolam (quae periit), in qua de periculis questus, quae in hac orbis terrarum perturbatione omnibus impendebant, de suo consilio scripsisse videtur. Ad hanc Caelius respondens, rogat Ciceronem ut saluti suae consulere neve se ad Pompeium conferre velit §. 1. Quod ut ipsi persuadeat, docet primum, Caesarem esse iratum, nec fore deprecationi locum §. 2. deinde ostendit Ciceronem, nisi Pompeii partes relinquat, et suam et suorum fortunam esse neglecturum §. 3. monetque summae stultitiae esse, facere contra victorem et accedere ad fugatos §. 4. Quibus rebus si nondum moveatur Cicero, suadet ei Caelius ut maneat saltem dum, quid de Hispaniis factum sit, sciatur §. 5. et se iam a Caesare petiisse nuntiat, ut is ipsum per literas ad remanendum commoveret §. 6. Porro velle se praesentem hoc a Cicerone contendere fatetur Caelius, si modo non a Caesare duceretur in Hispaniam §. 7. Postremum, si forte optimatium vocibus commoveatur, suadet ut se in aliquod oppidum a bello vacuum recipiat §. 8.

Scripta videtur circa Id. Apr.; scribit enim §. 7. »*Me secum in Hispaniam ducit* Caesar." Iam vero hic in itinere erat xv. Kal. Maias, ut apparet ex epistola, quam Caelii rogatu (Cf. §. 5.) Caesar scripsit ad Ciceronem; quae servatur inter Epp. ad Att. X. 8. B. — Propterea vix dubium est quin ea, quae sequitur, Ciceronis epistola (XXV.) statim sit rescripta.

Caelius Ciceroni S.

1. Fxanimatus [sum [1]] tuis literis; quibus te nihil nisi triste [2] cogitare ostendisti neque id quid esset perscripsisti neque non tamen, quale esset, quod cogitares [3], aperuisti: has ad te illieo [4] literas scripsi. Per fortunas tuas, Cicero, per liberos oro, obsecro [5], ne quid gravius de salute et incolumitate tua consulas. Nam deos hominesque [6] amicitiamque nostram testificor me tibi praedixisse [7] neque temere monuisse: sed postquam Caesarem convenerim sententiamque eius, qualis futura esset partâ victoriâ, cognoverim, te certiorem fecisse. 2. Si existimas eandem rationem fore Caesari in dimittendis adversariis et conditionibus ferendis, erras. Nihil nisi atrox et saevum cogitat atque etiam loquitur. Iratus senatui exiit [8]: his intercessionibus plane incitatus est: non, mehercule [9], erit deprecationi locus. 3. Quare si tibi tu, si filius unicus, si domus, si spes tuae reliquae tibi carae [10] sunt: si aliquid

---

(1) Alterum exemplum harum literarum est *ad Att.* 10, 9. ∾ om. *sum* Att. Lamb. Lall. (2) — *te nihil triste* Cd. Petrarchae Att. superscr. *non.* — *te nonnihil triste* Cdd. aliq. Lall. Weiske. (3) Sic Att. Lamb. Graev. Ern. Bened. Sch. — *non enim qualis esset, quod cognita res* Md. — *non enim quale esset quod cogitares* Vict. 1. — *non tamen* (omisso *neque*) cet. Vict. 2. (4) Sic Md. h. l. et Att. Crat. Vict. 1 et 2. — *illico ad te* Lamb. Seqq. (5) ∾ *liberos te oro et obsecro* Att. Lamb. Fuitne ex consuetudine Latina: *Per te fortunas* cet.? (6) — *homines* Crat. (7) Sic Att. Sch. — *me tibi praedixi* Md. — *me neque tibi praedixisse* Neap. Antiq. — *me neque temere tibi praedixisse* Crat. (om. *tibi.*) Vict. 1 et 2. Lamb. Graev. Ern. Bened. ex interpol. (8) — *senatui exilit* Crat. — *senatu exiliit* Margo Crat. (9) Sic Att. Lamb. Graev. Seqq. — om. *mehercule* Md. Crat. Vict 1 et 2. (10) — *curae* Neap. Antiq. Margo Crat.

apud te nos, si vir optimus, gener tuus, valet[1]: quorum[2] fortunam[3] non debes velle conturbare, ut eam causam, in cuius[4] victoria salus nostra est, odisse aut relinquere cogamur aut impiam cupiditatem contra salutem tuam habeamus. 4. Denique illud cogita: quod offensae fuerit in ista cunctatione, te[5] subisse: nunc te contra victorem facere, quem dubiis rebus laedere noluisti, et ad eos fugatos accedere, quos resistentes sequi nolueris, summae stultitiae est. Vide, ne, dum pudet te parum optimatem esse, parum diligenter, quid optimum[6] sit, eligas.

5. Quod si totum tibi persuadere non possum: saltem, dum, quid de Hispaniis agamus, scitur, exspecta; quas tibi nuntio adventu Caesaris fore nostras. Quam isti spem habeant amissis Hispaniis, nescio. Quod porro tuum consilium sit ad desperatos accedere, non medius fidius reperio. 6. Hoc, quod tu non dicendo mihi significasti, Caesar audierat, ac, simulatque, have, mihi dixit, statim quid de te audisset, exposuit. Negavi me scire: sed[7] tamen ab eo petii, ut ad te literas mitteret, quibus maxime ad remanendum commoveri posses. 7. Me secum in Hispaniam ducit. Nam, nisi ita faceret, ego prius, quam ad urbem accederem,

(1) — *valemus* Att. Luen. (2) — *eorum* (Att. Edd. pleraeque.) Lamb. Luen. Sed cfr. Rostii *Spec.* 1. p. 16. (3) Sic Md. Vict. 1. Bened. Luen. (ut est Att. cfr. *ad Att.* 11, 9. *fortuna omni spoliatam*). — *fortunas* Crat. Vict. 2. Lamb. Graev. Ern. Sch. (4) = *quoius* Md. Vict. 2. Bened. (5) — *te prius* Crat. Lamb. (6) — *optimatum* Lamb. (7) ∾ om. *sed* Att.

ubicunque esses, ad te percurrissem et hoc a te praesens contendissem atque omni vi te retinuissem. Etiam atque etiam, Cicero[1], cogita, ne te tuosque omnes funditus evertas: ne[2] te sciens prudensque eo demittas, unde exitum vides nullum esse.

8. Quod si te aut voces optimatium[3] commovent aut nonnullorum hominum insolentiam et iactationem ferre non potes: eligas censeo aliquod oppidum vacuum a bello, dum haec decernuntur, quae iam erunt confecta. Id si feceris[4], et ego te sapienter fecisse iudicabo et Caesarem non offendes.

---

(1) — *mi Cicero* Lamb. (2) ∾ *nec* Att. (3) — *optimatum* Vict. 1. contra Md. (4) Sic Att. sine var. Vict. 2. Lamb. Sch. — *d. quae tam erunt confeceris* Md. Antiq. — *d. quae iam erunt. Quum feceris* Bened. — *d. quae quum confeceris* Crat. Vict. 1. — *d. quae tu quum feceris* Graev. — *d. quae quum tu feceris* Ern.

EPISTOLA XXV.

(ad Fam. II. 16.)

Argumentum.

Respondet Cicero epistolae Caelii (XXIV), qua se deterruerat ne Pompeium Italia pulsum sequeretur, sed aut in oppidum aliquod a bello vacuum recederet, donec armis civilis contentio diiudicaretur, aut Hispaniensem casum exspectaret. Igitur questus superiores suas literas, (quas periisse diximus, quibusque Caelius exanimatum se esse scripserat Ep. XXIV. 1.) non recte intellectas esse, scribit, non esse se aut tam improvidum aut tam inconstantem ut civili bello velit interesse §. 1. deinde fatetur, velle se contentum esse quamvis parvis Italiae latebris, si modo non impediretur molesta lictorum pompa et nomine Imperatoris; eaque de causa malle se esse in praediolis suis §. 2. Dudum autem a Caelio perspici potuisse, ait, quam abhorreret ab urbe relinquenda; nec quicquam accidisse, cur consilium mutaret §. 3. Porro, nullam sibi separatim acerbitatem, sed, quae timenda sint, omnibus impendere arbitratus §. 4. contendit, nihil esse cur filio suo aut genero timeat; quorum ille satis amplum habiturus sit patrimonium in memoria nominis sui: hic autem iam liber sit ab iis molestiis, quas liberalitate sua contraxisset §. 5. Denique Hispaniensem casum scribit se non exspectaturum; confidit quippe fore ut, si quando futura sit civitas, sibi quoque locus sit; quin et fieri posse censet ut omnia meliores exitus habeant, quemadmodum recordatur, adolescente se, fuisse senes, qui Syllano tempore nimium desperaverint §. 6. In extrema epistola, adsperso prius ioco de Oppio et Curtio §. 7. et commendato Dolabella, nihil turbulenter aut temere se facturum affirmat; orat tamen Caelium, ut se suosque liberos tueatur §. 8.

Quo tempore haec Epistola scripta videatur, diximus ad superiorem Ep. XXIV.

M. Cicero Imp. S. D. M. Caelio.

1. *Magno dolore me affecissent tuae literae, nisi iam et ratio ipsa depulisset omnes molestias et diuturna desperatione rerum obduruisset animus ad dolorem novum. Sed tamen, quare acciderit, ut ex meis superioribus literis id suspicarere, quod scribis, nescio. Quid enim in illis*[1] *fuit praeter querelam temporum, quae non meum animum*[2] *magis sollicitum haberent*[3], *quam tuum? Nam non eam cognovi aciem ingenii tui, quod ipse videam, te id ut non putem videre. Illud miror, adduci potuisse te, qui me penitus nosse deberes, ut existimares aut me tam improvidum*[4], *qui ab excitata fortuna ad inclinatam et prope iacentem desciscerem: aut tam inconstantem, ut collectam gratiam florentissimi hominis effunderem a meque ipse deficerem et, quod initio semperque fugi, civili bello interessem.* 2. *Quod est igitur meum «triste consilium?" ut discederem fortasse in aliquas solitudines? Nosti enim non modo stomachi mei, cuius tu similem quondam habebas, sed etiam oculorum in hominum insolentium indignitate fastidium. Accedit etiam molesta haec pompa lictorum meorum nomenque im-*

(1) Sic Md. Vict. 1 et 2. Mart-Lag. — *fuit in illis* Crat. Lamb. Graev. Ern. Bened. Sch. (2) Sic Md. Neap. Antiq. Vict. 1 et 2. Lamb. Mart-Lag. Sch. — *animum meum* Graev. Ern. Bened. (3) Sic Ciz. Neap. Antiq. Vict. 2. Lamb. Mart-Lag. prob. Daehnio. — *haberet* Md. Crat. Vict. 1. Graev. Ern. Bened. Sch. (4) Sic Md. Crat. Vict. 1 et 2. Bened. — *ut me ex. aut tam impr.* Lamb. Graev. Ern. Mart-Lag. Sch.

perii, quo appellor. Eo si onere[1] *carerem, quamvis parvis Italiae latebris contentus essem. Sed incurrit haec nostra laurus non solum in oculos, sed iam*[2] *etiam in voculas malevolorum. Quod quum ita esset, nil tamen unquam de profectione, nisi vobis approbantibus, cogitavi. Sed mea praediola tibi nota sunt: in his mihi necesse est esse, ne amicis molestus sim. Quod autem in maritimis sum, facillime moveo*[3] *nonnullis suspicionem velle me navigare: quod tamen fortasse non nollem, si possem ad otium. Nam ad bellum quidem qui convenit? praesertim contra eum, cui spero me satisfecisse, ab eo*[4]*, cui iam*[5] *satisfieri nullo modo potest?* 3. *Deinde sententiam meam tu facillime perspicere potuisti iam ab illo tempore, quum in Cumanum mihi obviam venisti. Non enim te celavi sermonem T. Ampii: vidisti, quam abhorrerem ab urbe relinquenda. Quum audissem*[6]*, nonne tibi affirmavi quidvis me potius perpessurum, quam ex Italia ad bellum civile me*[7] *exiturum? Quid ergo accidit, cur*

---

(1) —*honore* Neap. Antiq. Bened. contra Md.. (2) —del. *iam* Mart-Lag. Sch. contra Md. (3) Sic Md. a sec. manu. Neap. — *sum facillime: moveo* Cdd. aliq. Mart-Lag. Sch. ∾ *sum*, *facile moveo* Crat. Lamb. — *mar. facillime sum*, *moveo* Md. a pr. m. Vict. 1 et 2.. Graev. Ern. Bened. (4) —*ad eum* Graevio falso tribuit probatque Ern.. Recte explicant (*pro eo* scil. *Pompeio*) Gronov. apud Graevium et Rost *Spec.* 1, p. 9. (5) Sic Mart-Lag. —*tam* Md., ut iam bis pro *iam* — *tamen* Ceteri. (6) Sic Md. Graev. Ern. Bened. — *Quod quum audissem* Ald. Vict. 1 et 2. Lamb. Mart-Lag. Sch. Sed quid tandem tunc audiverat Cicero? Malum est supplementum. Fuitne: *quum audisses*, vel *eum* (sermonem) *quum audisses*? Facile *eum* excidere poterat ante *cum*. (7) Sic Md. Cis. Crat. Vict. 1. — om. *me* Vict. 2. Ceteri.

consilium mutarem? Nonne omnia potius, ut[1] *in sententia permanerem? Credas hoc mihi velim, quod puto te existimare, me ex his miseriis nihil aliud*[2] *quaerere, nisi ut homines aliquando intelligant me nihil maluisse quam pacem: ea desperata, nihil tam fugisse quam arma civilia. Huius me constantiae puto fore ut nunquam poeniteat. Etenim memini in hoc genere gloriari solitum esse familiarem nostrum, Q. Hortensium, quod nunquam bello civili interfuisset. Hoc nostra laus erit illustrior, quod illi*[3] *tribuebatur ignaviae: de nobis id existimari posse non arbitror.* 4. *Nec me ista terrent, quae mihi a te ad timorem fidelissime*[4] *atque amantissime proponuntur. Nulla est enim acerbitas, quae non omnibus hac orbis terrarum perturbatione impendere videatur: quam quidem ego a re publica meis privatis et domesticis incommodis libentissime vel istis ipsis, quae tu me mones, ut caveam, redemissem.* 5. *Filio meo, quem tibi carum esse gaudeo, si erit ulla res publica, satis amplum patrimonium relinquam in memoria*[5] *nominis mei. Sin autem nulla erit, nihil accidet ei separatim a reliquis civibus. Nam quod rogas, ut respiciam generum meum, adolescentem optimum mihique carissimum: an dubitas, quum*[6] *scias,*

(1) — *cur* Lamb. (2) — *ex his m. n. aliud me q.* Lamb. — om. *me* Neap. Antiq. Ald. Crat. (3) ∾ *in illo* dubia Ern. susp. (4) Sic Antiq. Ern. Mart-Lag. Sch. cfr. *Lib.* 2. *Ep.* 1, §. 2. *fidelissimis atque amantissimis consiliis.* — *fidissime*, vocabulo nihili, Md. Neap. Crat. Vict. 1 et 2. Lamb. Graev. Bened. (5) — *in memoriam* Antiq. Ald. ∾ *memoriam* Crat. Mart-Lag. Sch. (6) — *quin* Md.

quanti quum illum, tum vero Tulliam meam faciam, quin ea me cura vehementissime sollicitet? et eo magis, quod in communibus miseriis hac tamen [1] *oblectabar specula, Dolabellam meum vel potius nostrum fere ab iis* [2] *molestiis, quas liberalitate* [3] *sua contraxerat, liberum. Velim quaeras, quos ille dies sustinuerit, in urbe dum fuit: quam acerbos sibi, quam mihimet ipsi* [4] *socero non honestos.* 6. *Itaque neque ego hunc* [5] *Hispaniensem casum exspecto, de quo mihi exploratum est ita esse, ut tu scribis, neque* [6] *quidquam astute cogito. Si quando erit civitas, erit profecto nobis locus: sin autem non erit, in easdem solitudines tu ipse, ut* [7] *arbitror, venies, in quibus nos consedisse audies. Sed ego fortasse vaticinor et haec omnia meliores habebunt exitus* [8]. *Recordor enim desperationes eorum, qui senes erant, adolescente me: eos ego fortasse nunc imitor et utor aetatis vitio. Velim ita sit. Sed tamen!* . . .

7. *Togam* [9] *praetextam texi Oppio puto te audisse. Nam Curtius noster dibaphum cogitat: sed*

(1) Sic Md. Neap. Crat. Vict. 1. Lamb. Ern. Bened. Mart-Lag. Sch. — *tantum* Antiq. Ald. Vict. 2. Graev. — *tandem* Beng. (2) — *his* Md. Vict. 2. (3) Sic Md. Ald. Crat. Vict. 1 et 2. Bened. Mart-Lag. Sch. — *libertate* Neap. Antiq. Lamb. Graev. Ern. (4) Sic emendavi corruptam Md. scripturam: — *mihi fuit ipsi.* — *mihi ipsi* Cett. praeter Mart-Lag. Sch., qui: — *ipsi mihi.* (5) — *nec hunc* om. *ego* Mart-Lag. Sch. contra Md. (6) Sic Md. Vict. 1. Lamb. Bened. — *nec* Crat. Vict. 2. Graev. Ern. Mart-Lag. Sch. (7) — del. *ut* Mart-Lag. contra Md. (8) — *exitus hab.* Lamb. contra Md. (9) Sic distinguunt Mart-Lag. Sch. — *Sed tamen togam* Ceteri.

eum infector moratur. Hoc[1] *adspersi, ut scires me tamen in stomacho solere ridere.*

8. De *Dolabella*[2], *quod scripsi, suadeo videas, tamquam si tua res*[3] *agatur. Extremum illud erit: nos nihil turbulenter, nihil temere faciemus. Te tamen oramus, quibuscunque erimus in terris, ut nos liberosque nostros ita tueare, ut amicitia nostra et tua fides postulabit.*

---

(1) — *Haec* Neap. Antiq. Crat. Ald. Lamb. contra Md. (2) Sic Antiq. Ald. Crat. Vict. 1 et 2. Lamb. — *Dolabella* om. *de* Md. a pr. manu. — *Dolabellae* Md. a sec. manu. Neap. Margo Crat. Graev. Seqq. (3) — *res tua* Neap. Antiq. Ald. Crat. Vict. 2. Lamb. contra Md.

EPISTOLA XXVI.
(ad Fam. VIII. 17.)

Argumentum.

Quo tempore Pompeius ad Dyrrhachium in Epiro et Caesar ad flumen Apsum castra habebant, Caelius Romae praetor (a. U. 706.), rerum novarum cupidus vel quia praetori Trebonio mandatam urbanam iurisdictionem inique ferret, vel quod gravi aere alieno premeretur, magnas turbas commovit. De quibus rebus Servilius consul ad senatum retulit, senatusque Caelium ab re publica removendum censuit, ut scribit Caesar de B. C. III. 19 seqq. Quae dum in Urbe agitantur, scripsit Caelius hanc Epistolam, doloris et iracundiae plenam: in qua se Curionis amore et Appii odio ab optima mente descivisse, Caesarisque partes potius, quam Pompeii, secutum esse conqueritur: eiusque mutationis culpam in fortunam quoque confert, quae effecerit, ut in Hispania esset, quo tempore Cicero ad Pompeium in Graeciam profectus est. Leviter etiam ipsum Ciceronem accusat, quod amici officium neglexerit, passusque sit eum cum Caesare coniungi §. 1. Deinde id se iam effecisse scribit ut populus, qui Caesari faverat, studeret Pompeianis, quibus et opem suam et victoriam promittit; non spe praemii, sed doloris atque indignitatis causa §. 2.

Scripta antequam Dyrrhachinum proelium aut commissum aut Romam nuntiatum esset; quod Caelius indicare videtur scribens §. 2. *quid istic facitis? proelium exspectatis.* Eodem fere tempore, quo Dolabella scripsit ad Ciceronem (ad Fam. IX. 9. 2.) *Animadvertis Cn. Pompeium nec nominis sui nec rerum gestarum gloria neque etiam regum ac nationum clientelis, quas ostentare crebro solebat, esse tutum; et hoc etiam, quod infimo cuique contigit, illi non posse contingere, ut honeste effugere possit, pulso Italia, amissis Hispaniis, capto exercitu veterano, circumvallato nunc denique.*

Caelius Ciceroni S.

1. Ergo me potius in Hispania fuisse tum[1], quam Formiis, quum[2] tu profectus es ad Pompeium! Quod utinam † aut Appius Claudius, in ista parte C. Curio[3], cuius[4] amicitia me paullatim in hanc perditam causam imposuit: nam mihi sentio bonam mentem iracundia et amore[5] ablatam. Tu, tu porro[6], quum ad te proficiscens Arimino noctu[7] venissem, dum mihi pacis mandata das ad Caesarem et mirificum civem agis, amici officium neglexisti neque mihi[8] consuluisti. Neque haec dico, quod diffidam huic causae: sed, crede mihi, perire satius est, quam hos videre. 2. Quod si timor vestrae crudelitatis non esset, eiecti iam pridem hinc essemus. Nam hic nunc praeter feneratores paucos nec homo nec ordo quisquam est nisi Pompeianus[9]. Equidem iam effeci, ut maxime plebs et, qui antea noster fuit, populus, vester esset. Cur hoc, inquis? Immo reliqua exspectate[10]; vos invitos vin-

(1) — del. *tum* Lamb. (2) — *tum*, *quum* Lamb. (3) Sic corrupte Md. Crat. (quae Ed. initio Epist. est corruptissima.) Bened. item Vict. 1. Ern. Sch., sed *ut* pro *aut;* item Graev., sed: — *aut C. Curio.* ∾ *quod utinam aut non Ap. Claudius in ista parte*, *aut non in hac C. Curio* Vict. 2. ∾ *quod utinam aut non in ista parte Ap. Claudius, aut non in hac C. Curio* Lamb. (4) = *quoius* Md. Vict. 2. Graev. Bened. (5) — *iracundiae timore* Crat. ∾ *iracundiae tumore* Lamb. (6) Sic Md. Vict. 2. Bened. — *Tum tu p.* Crat. Vict. 1. Lamb. Graev. Ern. Sch. Fuitne: *Tute porro?* (7) Sic Bened. — *Arimini noctu* Md. Vict. 2. — *Ariminum noctu* Crat. — *noctu Ariminum* Vict. 1. Lamb. Graev. Ern. Sch. (8) — *me* Md. Neap. Antiq. Beng. Bened. ortum ex *mi.* (9) — *nisi est Pomp.* Md. Beng. Bened. (10) Sic scripsi, ut h. l. semper plures alloquitur. — *reliquas exspectant* Md. Vict. 1. — *reliquias exspectant* Antiq. Crat. Bened. ∾ *reliqua exspecta* Vict. 2. Lamb. Graev. Ern. Sch. (— *reliqui exspectant* Margo Crat.)

cere coëgero. * Geram alterum me Catonem [1]. Vos dormitis: nec haec adhuc [2] mihi videmini intelligere, qua nos pateamus et qua [3] simus imbecilli. Atque hoc nullius praemii spe faciam: sed, quod apud me plurimum solet valere, doloris atque indignitatis [4] causa. Quid istic facitis? proelium exspectatis, quod firmissimum habet? Vestras [5] copias non novi: nostri valde depugnare et facile algere et esurire consuerunt [6]. Vale.

---

(1) Sic scripsi, dum meliora reperiantur. *Geram* autem desumpsi e praecedd. syllabis *gero: alterum me Catonem* divinavit I. F. Gronov. — *coëgero arruntanum me Catonem* Md. Cdd. Regii. Antiq. Beng. — *coëgero. Alunt annum me Catonem* Bened. — c. *Mirabimini in me Catonem* Oudendorp ad *Sueton. Caes.* 1. pag. 4. — c. *Irritavi in me Catonem;* nullâ, aut pravâ sententiâ. Vict. 1 et 2. Lamb. Graev. Ern. Sch. (2) ∾ *nec adhuc* Ed. Mediol. Ern. Sch. (3) Sic Md. Neap. Antiq. Vict. 2. Lamb. Bened. — *quam - - quam* Crat. Vict. 1. Graev. Ern. Sch. (4) — *indignationis* Lamb. (5) habet scil. Caesar. Sic scripsi. — *quod firmissimum haec vestras* Md. — *quod firmissimum? Nec vestras c. non novi* Bened. — *quod firmissimum est? Vestras* Crat. Vict. 1 et 2. Lamb. Graev. Ern. Sch. Hoc stare non posse videns I. F. Gronov. susp.: ∾ *quo firmissimus est* prob. Lall. (6) — *consueverunt* Crat. Graev.

INTEGRA VARIETAS

Codicis Medicei

(Plut. XLIX. Num. IX.)

COLLATI CUM VICTORIANA PRIMA.

Ex Apparatu Orelliano ne quid videamur in editione nostra neglexisse, quod emendandis Caelii Epistolis inservire possit, visum est hic addere Integram varietatem Codicis Medicei, excerptam ex Appendice, qua finitur Voluminis Tertii Pars Altera. Sed qui hac parte operae nostrae volet uti, meminerit eorum, quae Orellius monuit: *Consulto*, inquit, *servavi totam rationem collationis accuratissimae a Francisco del Furia, V. C., mecum communicatae, quia in adaptanda tali varietate ad aliam quamcunque editionem vix atque vix omnis generis errores devitantur. Ubicunque additur:* superscr., *intelligendum est: »ab alia manu eaque recentiore.'' Id autem prorsus necessarium est, ut, qui eá recte uti atque ipse denuo elaborare volet in nova harum epistolarum recensione, quam dicunt, adornanda, vel etiam recte diiudicare operam a me ea in re positam, ipse habeat Victorianam primam; sic omnia plana erunt; illa destitutus saepissime errabit atque in me iniquus erit. Nec ego talem iudicem unquam refellam.*

Epistola I. §. 1. et ad literas] Victorius - *ut ad litteras* Codex Mediceus. — nescio cuius] - *nescio quoius* — S. C. edicta] - *s. c. dictae* — exhibeam] - *ex ea hibea* (sic) — §. 2. ne tenuissimam] - *ne tenuissem* — accepi] - *accipi* — nos essemus] - *non essemus* superscr. *s*, ut sit: *nos.* — §. 3. ostenderit] - *ostenderet* — appareat, quid] - *appareat ut quid* — §. 4. Bellovacos] - *beluacos* — §. 5. capiti sit] - *capiti sint* — periisse, ita ut in urbe] - *perisse ur de urbe* — fuit te a Q. Pompeio] - *fuit atque pompeio* — eius esuriei] - *eius esurire* — impenderent, ut defungeremur] - *impenderet vide fungeremur* — §. 6. vigent] - *vigens.*

Epistola II. §. 1. Quid alios] - *quod a.* — sed tum ita bene] — *sed tota bene* — cuivis] - *quovis* — §. 2. non inertia] - *non in tertia* — videbatur] - *videbantur* — §. 3. quod ad pantheras] - *quod pantheras* — §. 4. Srimum (*err. typogr.*)] - *primum.*

Epistola III. §. 1. est, siquidem] - *et siquidem* — ego diligentius factito] - *eo diligentius facito* — otiolum meum] - *otiosum m.*

— ut non modo mihi] - *et mihi non modó* — §. 2. si fio, forsitan] - *si fio si forsitan* — est, quod si acciderit] - *est sed si a.* — non poterit] - *non possit* — sed tanti me hercule non] - *sed tanti sed me hercules* — §. 4. quod ad nos pertineat] - *quod et nos p.*

Epistola IV. S. D. M. CAELIO] - *salutem dicit m.... celio:* sic cum rasura. — §. 1. mehercule] - *mercule* — πολιτικώτερον] — πολειτικώτερον deleto ε. — §. 2. iidem illi] - *idem i.* — §. 3. ad te literarum] - *ad te litterum* superscr. *arum.* — §. 4. cupio] - *copio* superscr. *u.*

Epistola V. §. 1. Invideo tibi] - *invideo etibi* — mirere] - *mirer* — a repulsa] - *a prepulsa* superscr. *b*, ut sit: *ab repulsa.* — nisi nostri equites acutius] - *nisi nostrisque acutius:* alterum *s* in *nostrisque* puncto notatum, ut sit: *nostrique.* — §. 2. Servium designatum] - *serva cum des.* — causa est] - *causam est* (*m* puncto notatum.) — hominum amicitias] - *h. amicitiam.* — §. 3. te facerem] - *te facere* — Sextil. usque] - *sextusque* — deriseramus] - *deseramus* — ausus es] - *ausus est* — §. 4. cum ex Gallia coactus esset dicere Pompeius se] - *cum pompeius esse in gallia coactus est dicere pompeius* — obtrectatorum] - *obtrectaturum* — ut cum primum] - *ut quam primum* — vocem Cn. Pompeius] - *vocem cn. pompeio* — §. 5. Cibyratas] - ciburatas - §. 6. quid mihi] - *quidem mihi.*

Epistola VI. §. 1. hoc moderari] - *hoc more moderari* — §. 2. visum est] - *visus est* — moretur] - *moretur* — §. 3. haberem] - *habere* — urget neque] - *urget et neque* — senatum efficere] - *senatis efficere* — curet] - *curent.*

Epistola VII. §. 1. Curionem prorsus non] - *curionem prorsus curionem non* — causam liberaliter] - *causam liberalis* — §. 2. in Kal. reiectum ne] - *in Kal. reiecta est ne* — causa haec] - *causam haec* — relinquendus] - *relinquendum* — quum Galliae] - *quo* (cum lin.) *galliae* — parares] - *pararis* — §. 3. Curioni decem] - *curione d.* — seorsum] - *seorsus* — impera ibi: hoc cura] - *impera tibi hoc curare* — §. 4. istuc] - *istoc* — §. 6. cum exercitu et consulem esse. Tamen] - *cum exercitus et consul ipse tamen* — Balbum] - *baldum* superscr. *b.*

Epistola VIII. §. 1. quo magis] - *quod magis* — quaeris qua in causa] - *quaeris an causa* — deferre] - *differre* — et Tuccium] -

et tunccium — si quid iniuriis] - *si quod iniuriis* — teneretur] - *teneret* — §. 2. cuiquam] - *quoiquam* — ut implicet pecuniam] - *ut inpicet depecuniam* — pervenisse] - *pervenis* — causa diceret] - *causam d.* — si actiones stultissimas, quid si nefarias patris] - *si actionem stultissimas qui de se nefarias depatris* — §. 3. coeptus legisque] - *coetus legesque* — id ius ratumque] - *idus iuratumque* — postulante rursus Appio] - *postulanterusus appio* — de repetundis] - *de repetendis* — emissario est factus] - *emissa rustetio factus* — §. 5. Cn. F. Ahenobarbus] - *cn. f. fabius ahenobarbus* — Q. F. Metellus] - *q. f. fabius metellus* — M. F. Ter. quod] - *m. f. ter. sal. quod* — ad ex Kal.] - *a. d. ex* x. *Kal.* — quid coniunctim] - *quis c.* — haberent S. que C. facerent] - *haberes sane tumque cons. faceret* — referretur a Coss.] - *referrentur a consiliis* — ferrent L. V.] - *referrent* (?) *i. u.* — §. 6. scrib. adfuerunt] - *scripta adfuerunt* — Cn. F. Ahenobarbus] - *cn. fab. A.* — M. Oppius] - *m. eppius* — Cos. de provinciis] - *Cos. ut de p.* — fieri possit] - *fieri posse* — eum senatum existimare] - *tum senatum existimari* — referri] - *referre* — §. 7. et de ea re placere ad hunc] - *et de ea republica ad huc* — tribuni pl.] - *tribunus pl.* — §. 8. in provincia] - *in provi-niam* (sic) — oporteret] - *oportere* — coniicerentur] - *coicerentur* — Tribb. pl.] - *tribunus pl.* — §. 9. quid si, inquit alius, et consul esse] - *quid si inquis alius et cos esse* — effecit] - *efficit* — sui ratio] - *sua ratio* — §. 10. advectae] - *advecti* — supersederi] - *supersedere* — quum dare] - *quo* (cum lin.) *dare* — istuc] - istoc.

Epistola IX. S. D. M. Caelio] - *salutem dicit marcellio* — §. 1. quum primum] - *cum pr.* — factu obiicitur] - *factu obicitur* — animi] - *homini* — §. 2. diligo] - *deligo* superscr. *i.* — poeniteret] - *pertineret;* sed correctum ab alia manu.

Epistola X. S. D. M. Caelio] - *salutem dicit m . . . ce . . lio* sic cum rasuris. — §. 1. tu vide quam ad me] - *tu vide quam ad me* superscr. *quam timide* — aedilis es factus] - *aedilis es factus* superscr. *effectus es.* — §. 2. quadam authoritate (*sic*)] - *quadam actoritate* (sic) — §. 3. divortiis] - *divertiis* — accaeperat] - *acceperat* — appellatur (*err. typogr.*) apud Issum] - *appellatus a. I.* — infestissimam] - *infectissimam* — §. 4. Pindenissum] - *pindeninsum* — tantis opibus] - *tantis opibus*: ab alia manu correctum *operibus.* — caepero] - *cepero* sicque semper. — ut speres] - *ut speras* superscr. *e.* — §. 5. estas] - *aestas.*

Epistola XI. §. 1. C. Cassii] - *C. Caesaris* — Commagenem] - *commaginem* — dignitati] - *dignitatis* — timuissem] - *timuisset* —

§. 2. paludati] - *plaudati* — §. 3. Cassius venerat] - *cassius veniat* — renunciasse] - *renunciasset* — quod referret scire, reticuisse] - *quod referretur sciret reticuisset* — §. 4. aut quin id] - *aut qua* (cum lin.) *quod* — agunt] - *aiunt* — §. 5. sin autem aut non erit] - *sin aut sit aut non erit* — aut tum erit] - *autem tum erit* — Paulus porro] - *paullus p.* - §. 6. accidere] - *occidere* — multa esse scio] - *multa rescio* — vertentur] - *verterentur* — §. 7. illud certe] - *illuc certe* — mei officii] - *me officii.*

Epistola XII. §. 1. Marco Fabio] - omittit *Marco.*

Epistola XIII. §. 1. quin perlatum] - *quid p.* — facto retudit] - *factor etulit* — quam velis] - *quam velim* — re esset] - *res e.* — candide] - *candidi* — uxor a Dolabella] - *uxoreadobella* (sic) — §. 2. porro significatio ulla si intercesserit] - *porro significatio ulla intercessit* — praesertim is sit] - *pr. iussit* — §. 3. et hercule confecta omnia foeda] - *et hercules consaepta omnia fodera* — iaceant] - *iaciant* — calfaciunt] - *calficiunt* — nos hic frigore] - *nos nihil f.* — §. 4. calet] - *calent* — §. 5. opinioni] - *opinione.*

Epistola XIV. §. 2. adolescens Orestillae filiam] - *adolescentior est illae filium* — Servius] - *sevius* — quaeres ubi? ubi hercules] - *quaeres ubi h.* — relinquo] - *relino.*

Epistola XV. S. D. M. Caelio] - *salutem dicit m ... ce .. lio* — §. 1. deessent] - *dessent* superscr. *e.* — solicitus] - *sollicitus* — incredibile meorum] - *incredibile eorum* superscr. *m.* — ut non tam] - *ut non iam* — §. 2. mandatu meo diligenter] - *mandatum eo diligiter* superscr. *en*, ut sit: *diligenter.* — et eas, quae] - *et ea quae* superscr. *s.* — mehercule] - *mercule* — ipse dies me] - *ipse es me* superscr. *di*, ut sit: *dies.*

Epistola XVI. S. D. M. Caelio] - *salutem dicit m ... ce .. lio;* et sic deinceps in seqq. Epp. — §. 2. ut simultatem deposuimus] - *ut simultatem ... de ... posuimus* sic cum rasuris. — defuisse, tu es testis] - *defuisset vestestis* (a sec. m. recte distinguuntur vv.) — quoniam κωμικὸς μάρτυς] - *quoniam comicos ΜΑΡΤΥΣ* — Phania] - *phania* superscr. *n;* ut sit: *phannia.* — §. 3. quod nonnihil significabant] - *quod nihil significabant:* super v. *nihil* tria puncta, et in marg. *mihi*, ut sit: *quod mihi nihil.* — ab eo discrepare] - *ab eo increpare* superscr. *dis.* — §. 4. veternus civitatis] - *veteranus c.* — laetabar] - *laetabor* — §. 5. quis hoc putaret] - *qui hoc putaret* — vivam, putavi] - *viva putavi* — §. 6.

confeceram, civitates locupletaram publicanis] - *conferam civitates locupletar in publ.* — superioris] - *superioribus* — conservaram] - *conservatam* — militaremque rem collocassem] - *militaremque conlocarem.*

Epistola XVII. §. 1. eripiebantur, negabat] - *eripiantur negabant* — ne quod] - *ne quid* — adeptus] - *ademptus* — consules se his] - *cons.* (cum lin.) *esse his* — §. 2. posset] - *possit* — §. 3. tum eius] - *cum e.* — §. 5. adhuc incubuisse] - *adhuc est incubuisse* — Id. Nov.] - *idus nov.* — audent] - *audeant* — consulatus] - *consul* — defendetur: si intercessorem (quod videntur) reformidarint] - *defendetur intercessorem si quod viderunt reformidarunt* — §. 6. habet utilia] - *habet ut illa* — §. 7. sed quum] - *sed quo* cum lineola. — sic agas rogo. Vale.] - *sic agros rogo* Deest: *Vale.*

Epistola XVIII. §. 1. sunt decursa] - *sunt de causa* — hebes] - *habes* — §. 2. Velles C. Curionem] - *Voles cicero curionem* — intercessionis] - *intercessiones* — exitum] - *exitium* — cum de intercessione] - *cum int.* — cum tribb. pl.] - *cum tribunus plebis* — stomacho est scilicet] - *stomachus scilicet* — placeat] - *placeant* — ut nec ratio esset eius habenda qui neque exercitum] - *ut ratione eius habenda qui exercitum neque* — traderet] - *tradere* — sit, cum cognoscat] - *iste cum cognoscam* — futurum] - *futurus* — aut non possit] Desunt haec.

Epistola XIX. S. D. M. Caelio] - *salutem dicit m ... ce ... lio* — §. 1. solicitus] - *sollicitus* — solicitabat] - *sollicitabat* - molestiis] - molestis — §. 3. Diogenes] - *diogenus* — habebant ad Deiotarum Regem] - *habebant adiatoregem.* — §. 4. ego ab adolescentia] — *ego abulescentia* (sic) — sordida est iis] - *sordida iis* — §. 5. quam ex conservata] - *quam est ex cons.* — spem triumphi inquis? satis] - *spem triumphi inquisatis* superscr. *s*, ut sit: *spes* et *ni* super voc. *inquisatis.* — triumpharem, si non] - *triumpharem non* — §. 6. epistolas] - *epistulas.*

Epistola XX. §. 1. assensus est ei] - *adsensus sed ei* superscr. *est.* — sequuntur] - *secuntur* superscr. *r*, ut sit: *seruntur.* — §. 2. dii approbent] - *di adprobent* — §. 4. Caelium] - *coelium* — At quaestorem, at n. adolescentem, at] - *ad q. ad n. adulescentem ad* ter superscr. *t.* — exemplo] - *exemplo* superscr. *um;* ut sit: *exemplum* — usus] - *usus* superscr. *ullus* — Pomptinus] - *pomptinus* sed del. *t.* — impetrari] - *imperari* — si reliquissem] - *si relinquissem* — §. 5. enim non potest] - *enim potest* superscr. *non.* — §. 6. Matrinio] - *matrinio* cum lin. super lit. *n.* a sec. manu, ut sit: *matrinnio.*

Epistola XXI. §. 1. ut ea] - *et ea.* In marg. *ut.* — quem vitam] - *que v.* — §. 2. Tum quidem aliquot amicis] - *tamen quasi aliquod* (sic) *amicis* — ne cui satisfaceret] - *ne quoi satisfacere* — resciit, excanduit et me causam] - *rescit scanduit et me causa* — §. 3. compellari ea] - *compellari ea* superscr. *in.* — insolentissimi] - *insolentissime* — erat praelocutus] - *erat polae locutus* — §. 4. me mora] - *ne mora* — diem timori esse. Te expecto] - *diem tumorae est expecto* — tuas solere] - *tuas sorore.*

Epistola XXII. §. 1. Seleuciam] - *seleuceam* — ut ne] — *aut ne* — cuius] - *quoius* — furit] - *fuerit* — unumque me studiosiorem Antonii. Nam] - *unumque move studiosorem* (sic) *antonianam* — superiore vita] - *superior ea vita* — nunc in exspectatione inest etiam] - *nunc exspectationem inest etiam* — §. 2. quo propius] - *quod p.* — quo Cn.] - *quod cn.* — C. Caesarem] - *gaius caesar* — non posse, si] - *non possem ab* — Sic illi amores et invidiosa] - *siciliam mores et vidiosa* — bellum erupit] - *bellum se erupit*] — sit perturbatura] - *sic perturbatur* — non homines] - *unde h.* §. 3. video Cn.] - *video acneium* — satis spatii sit] - *satis pati sit* — utriusque copias et eligendam partem] - *utrisque copias et eligendas utrisque copias et eligendam partem* — §. 4. quod maxime] - *quo m.* — eluere] - *ei vere* — §. 6. quid putem] - *quod p.* — alteruter eorum] - *alter ut eorum* — sine tuo] - *sine suo.*

Epistola XXIII. §. 1. qui tantas] - *quid t.* — aut vidisti] - *aut audisti* — §. 2. maluit Pompeium] - *maluit pompeius* — §. 3. properandi] - *properando* — §. 4. sed tamen quodnam ob] - *sed tum quam ob* — Intimelii] - *intimicli* — qui ibi] - *que ibi* — illic, Caesaris] - *illi Caesaris* — eo cum cohortibus] - *eo num cohortibus* — inquies Domitii] - *inquis se domitii* — Venere prognatus] - *Venerem propugnatus* — habuisset] - *habuisse* — quantum ipse catenatus] - *quantum ipse cadenatus.*

Epistola XXIV. Caelius M. Ciceroni S. D.] - *Caelius ciceroni sal.* — §. 1. perscripsisti] - *perscripsi* — non enim quale esset quod cogitares] - *non enim qualis esset quod cognita res* — me neque temere praedixisse neque temere] - *me tibi praedixi neque temere* — Caesarem] - *caesare* — futura esset parta victoria] - *fuerat esset partha victa victoria* — §. 2. senatui exiit] - *senatui exilit* — deprecationi] - *depraecatio* — §. 3. in cuius] - *in quoius* — §. 4. quem dubiis] - *quam d.* — quos resistentes] - *quod resistentis* — parum optimatem esse] - *parum ad optatim esse* — §. 6. negavi] - *negavit* — §. 7. vi te] - *vitae* — §. 8. optimatum] - *optimatium* — non potes] - *non potest* — quae cum confeceris et ego] - *quae tam erunt confeceris et ego.*

Epistola XXV. §. 1. desciscerem] - *descissirem* — §. 2. facillime sum] - *facillime sum;* sed litt. *a*, *b* notatur transponendum esse: *sum facillime.* — contra eum] - *contra euum* — cui tamen satisfieri] - *cui tam s.* — §. 3. relinquenda: quod cum audissem] - *relinquenda cum audissem* — existimari posse] - *existimare p.* — §. 4. domesticis] - *modesticis* — §. 5. satis] - *satris* — dubitas, quum] - *d. quin* — Dolabellam] - *dolobellam* — ab iis] - *ab his* — quam mihi ipsi socero] - *quam mihi fuit ipsi s.* — §. 6. adolescente me. Eos ego] - *adulescentea eos ego* — §. 7. aspersi] *asparsi* — §. 8. De Dolabella] - *dolabella* superscr. *e;* ut sit: *Dolabellae.*

Epistola XXVI. §. 1. fuisse tum quam Formiis] - *fuisset umquam formis* — ut Appius] - *aut appius* — cuius amicitia] - *quoius a.* — perditam causam] - *portam c.* — Tum tu porro] - *tu tù p.* — noctu Ariminum venissem] - *Arimini noctu venissent* — mihi consuluisti] - *me c.* — §. 2. hic nunc] - *hinc n.* — nisi Pompeianus] - *nisi est pompeianus* — effeci] - *effici* — plebs et] - *pies et* — immo reliquas exspectant] - *immo reliquas exspectant* (sic, nulla varietate.) — irritavi in me Catonem] - *arruntanum me Catonem* — quam nos pateamus et quam] - *qua nos p. et qua* — firmissimum est. Vestras] - *firmissimum haec vestras.*

VETERUM AC RECENTIORUM
TESTIMONIA
DE
M. CAELIO RUFO
EIUSQUE
EPISTOLIS.

Veterum ac Recentiorum

DE

M. CAELIO RUFO

TESTIMONIA.

M. Tullius Cicero, *in Verrem* Act. II. L. IV. c. 17, 37.

M. Caelius, eques Romanus, lectissimus adolescens.

Idem, *pro Caelio* c. 1, 1. seqq.

Caelius, adolescens illustri ingenio, industria, gratia, accusatur ab eius filio, quem ipse in iudicium et vocat et vocavit (1).

(c. 2, 5.) Quod est obiectum, municipibus esse adolescentem non probatum suis: nemini unquam praesenti † Puteolani (2)] maiores honores habuerunt, quam absenti M. Caelio: [quem] et absentem in amplissimum ordinem cooptarunt et ea non petenti detulerunt, quae multis petentibus denegarunt; iidemque nunc lectissimos viros et nostri ordinis et equites Romanos cum legatione ad hoc iudicium et cum gravissima atque ornatissima laudatione miserunt.

---

(1) L. Atratini, accusatoris sui, patrem Caelius de ambitu accusaverat: absolutum iterum accusavit. Manutius.

(2) Hoc nomen ab Aldo e coni repositum falsitatis satis arguunt et Cdd. turbae (*praetoriani* A. (in quo syllabae *tori* uncis sunt inclusae, ut sit *praeani*) B. (D.) - *praetori* C.) et erudita Garatonii disputatio, cuius summa haec est: Puteolos tum nondum civitatem Ro. adeptos esse neque fuisse municipium, verum in liberarum civitatum numero fuisse; non igitur Caelium, si Puteolanus fuisset, Romae in forensibus negotiis versari atque honores ambire potuisse. Quid autem in corruptela lateat (v. c. *Arretini*, *Praenestini*) divinare non possumus. De *Reatinis* cogitari nequit, quum Reate fuerit praefectura sine ordine decurionum. *Praetutiani* autem, quos commendabat Gruterus, accurate si loqueris, nulli sunt; si quidem Praetutii Praetutiani agri incolae nominabantur. Orellius ad h. l. in Ed. Min. (Turici 1832.)

(c. 3, 6.) Quod obiectum est de pudicitia quodque omnium accusatorum non criminibus, sed vocibus maledictisque celebratum est, id nunquam tam acerbe feret M. Caelius, ut eum poeniteat non deformem esse natum. Sunt enim ista maledicta pervulgata in omnes, quorum in adolescentia forma et species fuit liberalis.

(c. 4, 9.) Quoad aetas M. Caelii dare potuit isti suspicioni locum, fuit primum ipsius pudore, deinde etiam patris diligentia disciplinaque munita, qui, ut huic virilem togam dedit, — nihil hoc loco de me: (tantum sit, quantum vos existimatis:) hoc dicam, hunc a patre continuo ad me esse deductum; — nemo hunc M. Caelium in illo aetatis flore vidit nisi aut cum patre aut mecum aut in M. Crassi castissima domo, quum artibus honestissimis erudiretur.

(c. 4, 10.) Quod Catilinae familiaritas obiecta Caelio est, longe ab ista suspicione abhorrere debet. Hoc enim adolescente scitis consulatum mecum petisse Catilinam: ad quem si accessit aut si a me discessit unquam, (quamquam multi boni adolescentes illi homini nequam atque improbo studuerunt:) tum existimetur Caelius Catilinae nimium familiaris fuisse. — At enim postea scimus et vidimus esse hunc in illius amicis. — Quis negat? Sed ego illud tempus aetatis, quod ipsum sua sponte infirmum, aliorum libidine infestum est, id hoc loco defendo. Fuit assiduus mecum, praetore me: non noverat Catilinam. Africam tum praetor ille obtinebat. Secutus est annus; causam de pecuniis repetundis Catilina dixit. Mecum erat hic; illi ne advocatus quidem venit unquam. Deinceps fuit annus, quo ego consulatum petivi: petebat Catilina mecum. Nunquam ad illum accessit: a me nunquam recessit.

(c. 7, 15.) Itaque a maledictis pudicitiae ad coniurationis invidiam oratio est vestra delapsa. Posuistis enim, atque id tamen titubanter et strictim, coniurationis hunc propter amicitiam Catilinae participem fuisse: in quo non modo crimen non haerebat, sed vix diserti adolescentis cohaerebat oratio. Qui enim tantus furor in Caelio? quod tantum aut in moribus naturaque vulnus aut in re atque fortuna? ubi

denique est in ista suspicione Caelii nomen auditum? Nimium multa de re minime dubia loquor; hoc tamen dico: non modo si socius coniurationis, sed nisi inimicissimus istius sceleris fuisset, nunquam coniurationis accusatione adolescentiam suam potissimum commendare voluisset. Quod haud scio, an de ambitu et de criminibus istis sodalium ac sequestrium (quoniam huc incidi) similiter respondendum putem. Nunquam enim tam Caelius amens fuisset, ut, si se isto infinito ambitu commaculasset, ambitus alterum accusaret; neque eius facti in altero suspicionem quaereret, cuius ipse sibi perpetuam licentiam optaret; nec, si sibi semel periculum ambitus subeundum putaret, ipse alterum iterum ambitus crimine arcesseret. Quod quamquam nec sapienter et me invito facit, tamen est eiusmodi, cupidius ut magis insectari alterius innocentiam, quam de se timide cogitare videatur.

(c. 19, 44.) At vero in M. Caelio (dicam enim iam confidentius de studiis eius honestis, quoniam audeo quaedam fretus vestra sapientia libere confiteri) nulla luxuries reperietur, nulli sumptus, nullum aes alienum, nulla conviviorum ac lustrorum libido. Quod quidem vitium ventris et gurgitis non modo non minuit aetas hominibus, sed etiam auget. Amores autem et hae deliciae quae vocantur, quae firmiore animo praeditis diutius molestae non solent esse (mature enim et celeriter deflorescunt), nunquam hunc occupatum impeditumque tenuerunt. Audistis, quum pro se diceret: audistis antea, quum accusaret; (defendendi haec causa, non gloriandi eloquor:) genus orationis, facultatem, copiam sententiarum atque verborum, quae vestra prudentia est, perspexistis. Atque in eo non solum ingenium elucere eius videbatis: quod saepe, etiam si industria non alitur, valet tamen ipsum suis viribus: sed inerat, nisi me propter benevolentiam forte fallebat, ratio et bonis artibus instituta et cura et vigiliis elaborata. Atque scitote, iudices, eas cupiditates, quae obiiciuntur Caelio, atque haec studia, de quibus disputo, non facile in eodem homine esse posse. Fieri enim non potest, ut animus libidini deditus, amore, desiderio, cupiditate,

saepe nimia copia, inopia etiam nonnunquam impeditus, hoc, quicquid est, quod nos facimus in dicendo, non modo agendo, verum etiam cogitando possit sustinere.

(c. 22, 53.) Possum dicere mores M. Caelii longissime a tanti sceleris atrocitate esse disiunctos: minime esse credendum, homini tam ingenioso tamque prudenti non venisse in mentem rem tanti sceleris ignotis alienisque servis non esse credendam.

(c. 30, 72. seq.) Caelii prima aetas dedita disciplinis fuit iisque artibus, quibus instruimur ad hunc usum forensem, ad capessendam rem publicam, ad honorem, gloriam, dignitatem: iis autem amicitiis maiorum natu, quorum imitari industriam continentiamque maxime velit, iis aequalium studiis, ut eundem, quem optimi ac nobilisimi, petere cursum laudis videretur. Quum autem paullum iam roboris accessisset aetati, in Africam profectus est, Q Pompeio pro consule contubernalis, castissimo viro atque omnis officii diligentissimo; in qua provincia quum res erat et possessiones paternae, tum etiam usus quidam provincialis non sine causa a maioribus huic aetati tributus. Discessit illinc Pompeii iudicio probatissimus, ut ipsius testimonio cognoscetis. Voluit vetere instituto, eorum adolescentium exemplo, qui post in civitate summi viri et clarissimi cives exstiterunt, industriam suam a populo Romano ex aliqua illustri accusatione cognosci. Vellem alio potius eum cupiditas gloriae detulisset! sed abiit huius tempus querelae. Accusavit C. Antonium, collegam meum; cui misero praeclari in rem publicam beneficii memoria nihil profuit, nocuit opinio maleficii cogitati. Postea nemini unquam concessit aequalium, plus ut in foro, plus ut in negotiis versaretur causisque amicorum, plus ut valeret inter suos gratia. Quae nisi vigilantes homines, nisi sobrii, nisi industrii consequi non possunt, omnia labore et diligentia est consecutus. In hoc flexu quasi aetatis (nihil enim occultabo, fretus humanitate ac sapientia vestra), fama adolescentis paullum haesit ad metas notitia nova mulieris, et infelici vicinitate et insolentia voluptatum; quae quum inclusae diutius et prima aetate compressae et constrictae fuerunt, subito se nonnunquam profundunt atque eiiciunt

universae. Qua ex vita, vel dicam, quo ex sermone (nequaquam enim tantum erat, quantum homines loquebantur) verum ex eo, quidquid erat, emersit totumque se eiecit atque extulit, tantumque abest ab illius familiaritatis infamia, ut eiusdem nunc ab sese inimicitias odiumque propulset.

(c. 32, 78.) Neque enim potest, qui hominem consularem, quod ab eo rem publicam violatam esse duceret, in iudicium vocarit, ipse esse in re publica civis turbulentus: non potest, qui ambitu ne absolutum quidem patitur esse absolutum, ipse impune unquam esse largitor. Habet a M. Caelio res publica, iudices, duas accusationes vel obsides periculi vel pignora voluntatis.

Idem, *pro Milone* c. 33, 91.

Caedi vidistis populum Romanum, concionem gladiis disturbari, quum audiretur silentio M. Caelius, tribunus plebis, vir et in re publica fortissimus, et in suscepta causa firmissimus, et bonorum voluntati, et auctoritati senatus deditus, et in hac Milonis sive invidia sive fortuna, singulari, divina et incredibili fide.

Idem, *Brutus* c. 79, 273.

Nec vero M. Caelium praetereundum arbitror, quaecunque eius in exitu vel fortuna, vel mens fuit: qui quamdiu auctoritati meae paruit, talis tribunus plebis fuit, ut nemo contra civium perditorum popularem turbulentamque dementiam, a senatu, et a bonorum causa steterit constantius: quam eius actionem, multum tamen et splendida, et grandis, et eadem in primis faceta et perurbana commendabat oratio. Graves eius conciones aliquot fuerunt; acres accusationes tres, eaeque omnes ex rei publicae contentione susceptae; defensiones, etsi illa erant in eo meliora, quae dixi, non contemnendae tamen, saneque tolerabiles. Hic quum summa voluntate bonorum aedilis curulis factus esset, nescio quomodo discessu meo discessit a sese, ceciditque, posteaquam eos imitari coepit, quos ipse perverterat.

Idem, *ad Atticum* L. VI. Ep. 1. §. 21.

Caelius libertum ad me misit et literas accurate scriptas:

sed de pantheris foede ac civitatibus (1). Rescripsi (2) alterum me moleste ferre, si ego in tenebris laterem nec audiretur Romae nullum in mea provincia nummum nisi in aes alienum erogari; docuique nec mihi conciliare pecuniam licere nec illi capere: monuique eum, quem plane diligo, ut, quum alios accusasset, cautius viveret; illud autem alterum alienum esse existimatione mea, Cibyratas imperio meo publice venari.

IDEM, *Epist. ad App. Pulchrum* (ad Fam. III. 10. 5.)

Illud vero mihi permirum accidit, tantam temeritatem fuisse in eo adolescente (sc. Dolabella), cuius ego salutem duobus capitis iudiciis summa contentione defendi, ut tuis inimicitiis suscipiendis oblivisceretur patroni omnium fortunarum ac rationum suarum: praesertim quum tu omnibus vel ornamentis vel praesidiis redundares; illi, ut lenissime dicam, multa deessent. Cuius sermo stultus et puerilis erat iam ante ad me a M. Caelio, familiari nostro, perscriptus (3): de quo item sermone multa scripta sunt abs te.

IDEM, *ad Atticum* L. X. Ep. 9. §. 2.

Lacrimae meorum me interdum molliunt, precantium, ut de Hispaniis exspectemus. M. Caelii quidem epistolam scriptam miserabiliter, quum hoc idem obsecraret, ut exspectarem, ne fortunas meas, ne unicum filium, ne meos omnes tam temere proderem, non sine magno fletu legerunt pueri nostri: etsi meus quidem est fortior, eoque ipso vehementius commovet; nec quidquam nisi de dignatione laborat. -- Misi ad te Caelii etiam literarum exemplum. *Exanimatus tuis literis* cet (4).

---

(1) Ingeniosa suspicio I. F. Gronovii: *sed de pantheris*, *Feridio ac civitatibus.* Scilicet haec omnia cadunt in Caelii Epistolam *ad Fam.* 8, 9. OR. [h. Ed. Ep. VII. §. 3 et 4.]

(2) Quae Cicero hic se dicit rescripsisse, ea nunc in Epistolis Ciceronis non exstant.

(3) Hae Coelii literae, quas hic Cicero significat, non exstant: nam in iis, quas habemus, nulla sermonis huius Dolabellae mentio fit. MANUTIUS.

(4) Est Epistola XXIV. h. Ed.

C. IULIUS CAESAR, *Commentarii de Bello Civili* L. III. c. 20. seqq.

Iisdem temporibus Romae M. Coelius Rufus praetor, causa debitorum suscepta, initio magistratus tribunal suum iuxta C. Trebonii, praetoris urbani, sellam collocavit et, si quis adpellasset de aestimatione et de solutionibus, quae per arbitrium fierent, ut Caesar praesens constituerat, fore auxilio pollicebatur. Sed fiebat aequitate decreti et humanitate Trebonii, qui his temporibus clementer et moderate ius dicendum existimabat, ut reperiri non posset, a quibus initium adpellandi nasceretur. Nam fortasse inopiam excusare et calamitatem aut propriam suam aut temporum queri et difficultates auctionandi proponere, etiam mediocris est animi; integras vero tenere possessiones, qui se debere fateantur, cuius animi, aut cuius impudentiae est? Itaque, hoc qui postularet, reperiebatur nemo. Atque ipsis, ad quorum commodum pertinebat, durior inventus est Coelius et, ab hoc profectus initio, ne frustra ingressus turpem causam videretur, legem promulgavit, ut † sexies seni dies sine usuris creditae pecuniae solvantur (1).

(c. 21.) Quum resisteret Servilius consul reliquique magistratus, et minus opinione sua efficeret: ad hominum excitanda studia, sublata priore lege, duas promulgavit; unam, qua mercedes habitationum annuas conductoribus donavit; alteram tabularum novarum; impetuque multitudinis in C. Trebonium facto, et nonnullis vulneratis, eum de tribunali deturbavit. De quibus rebus Servilius consul ad senatum retulit, senatusque Coelium ab republica removendum censuit. Hoc decreto eum consul senatu prohibuit et concionari conantem de rostris deduxit. Ille, ignominia et dolore permotus, palam se proficisci ad Caesarem simulavit; clam, nunciis ad Milonem missis, (qui, Clodio interfecto, eo nomine erat damnatus) atque eo in Italiam evocato, quod, magnis muneribus

---

(1) Verba corrupta sic emendavit Niebuhrius: *sexies semestri die*, id est, *in sechs Raten von sechs zu sechs Monaten*. Vid. *Rheinisches Museum für Philologie, Geschichte und griechische Philosophie* (Bonn 1828) 2. 4. p. 598.

datis, gladiatoriae familiae reliquias habebat, sibi coniunxit atque eum in Thurinum ad sollicitandos pastores praemisit. Ipse quum Casilinum venisset, unoque tempore signa eius militaria atque arma Capuae essent comprehensa et familia Neapoli visa, atque proditio oppidi adpareret, patefactis consiliis, exclusus Capua et periculum veritus, quod conventus arma ceperat atque eum hostis loco habendum existimabat, consilio destitit atque eo itinere sese avertit.

(c. 22.) Interim Milo, dimissis circum municipia literis, ea, quae faceret, iussu atque imperio facere Pompeii, quae mandata ad se per Bibulum delata essent, quos ex aere alieno laborare arbitrabatur, sollicitabat. Apud quos quum proficere nihil posset, quibusdam solutis ergastulis, Cosam in agro Thurino oppugnare coepit. Eo quum a Q. Pedio praetore cum legione * * lapide ictus ex muro, periit: et Coelius, profectus, ut dictitabat, ad Caesarem, pervenit Thurios: ubi, quum quosdam eius municipii sollicitaret equitibusque Caesaris Gallis atque Hispanis, qui eo praesidii causa missi erant, pecuniam polliceretur, ab iis est interfectus. Ita magnarum initia rerum, quae occupatione magistratuum et temporum sollicitam Italiam habebant, celerem et facilem exitum habuerunt.

Catullus, *Carm.* LVIII.
ad Caelium de Lesbia (1).

Caeli, Lesbia nostra, Lesbia illa,
Illa Lesbia, quam Catullus unam
Plus quam se atque suos amavit omnes,
Nunc in quadriviis et angiportis
Glubit magnanimos Remi nepotes.

(1) Quod ad amores pertinet, in quibus fatetur Cicero Caelium aliquando versatum fuisse: videndum est an Caelius Catulli rivalis fuerit. Si namque verum est, quod proditum memoriae est ab Apuleio [Apol. p. 415.] quam *Lesbiam* poeta ficto nomine appellat, fuisse *Clodiam*, vix dubitare de hoc possumus. Familiaritas enim praecipue Clodiae, quod aperte narrat Cicero, infamiam attulit Caelio: causaque fuit omnium ipsius malorum. Cum enim eodem tempore vixerint, Clodiaque haec impudica mulier fuerit, et multorum adolescentium amore flagrarit,

Idem, *Carm.* C.
de Caelio et Quintio.

Caelius Aufilenum, et Quintius Aufilenam,
Flos Veronensium depereunt iuvenum;
Hic fratrem, ille sororem. Hoc est, quod dicitur, illud
Fraternum vere dulce sodalitium.
Quoi faveam potius? Caeli, tibi: nam tua nobis
Perspecta exigit hoc unica amicitia,
Cum vesana meas torreret flamma medullas.
Sis felix, Caeli, sis in amore potens.

Livius, *Epitome* L. CXI.

M. Coelius Rufus praetor, quum seditiones in urbe concitaret, novarum tabularum spe plebe sollicitata, abrogato magistratu pulsus urbe, Miloni exsuli, qui fugitivorum exercitum contraxerat, se coniunxit. Uterque, quum bellum molirentur, interfecti sunt.

Velleius Paterculus, *Hist. Rom.* L. II. c. 36.

Iam pene supervacaneum videri potest, eminentium ingeniorum notare tempora. Quis enim ignorat, diremptos gradibus aetatis floruisse hoc tempore Ciceronem, Hortensium, Antonium, Crassum, Cottam, Sulpitium; moxque Brutum, Calidium, Coelium, Calvum, et proximum Ciceroni Caesarem; eorumque velut alumnos, Corvinum ac Pollionem Asinium; aemulumque Thucydidis, Sallustium.

(L. II. c. 68.) Dum in acie Pharsalica Africaque (1) de

---

verisimile est hanc Clodiam illam fuisse, quam Catullus quoque amavit. Sed ipse etiam poeta hoc ostendere videtur: vel potius manifesto declarat, si conceditur falsum illud simulatumque nomen hanc significare. In hendecasyllabo enim, quo cum Caelio queritur de flagitiis ipsius, quae corpus palam publicaret, se socium illum habuisse in eo amore narrat, ita scribens: *Caeli, Lesbia nostra, Lesbia illa* &c. Prostitutae enim pudicitiae hanc quamvis nobilem admodum mulierem fuisse, ex oratione Ciceronis intelligitur. Unde quum *Quadrantaria* illa vocata sit [cfr. Cic. p. Cael. c. 26, 62.], cuius cognominis rationem Plutarchus [in vita Cicer. c 29.] exponit, M. Caelius creditus est auctor illius fabulae fuisse, quamvis id Cicero purget. P. Victorius Var. Lect. L. XVI. c. 1.

(1) Acuta et vera Lipsii emendatio: *circaque.* Ruhnk.

summa rerum Caesar dimicat, M. Coelius, vir eloquio animoque Curioni simillimus, sed in utroque perfectior, nec minus ingeniose nequam, cum in modica quidem (1) servari posset (quippe peior illi res familiaris quam mens erat) in praetura novarum tabularum auctor extitit, nequiitque senatus et auctoritate Cos. deterreri, accito etiam Milone Annio, qui non impetrato reditu, Iulianis partibus infestus erat, in urbe seditionem, at in agris occulte bellicum tumultum movens, primo summotus a rep. mox consularibus armis, auctore senatu, circa Thurios oppressus est.

Valerius Maximus L. IV. c. 2. §. 7.

Coelii vero Rufi ut vita inquinata, ita misericordia, quam Q. Pompeio praestitit, probanda. Cui a se publica quaestione prostrato, cum mater Cornelia fidei commissa praedia non redderet, atque iste auxilium suum literis implorasset, pertinacissime absenti adfuit. Recitavit et eius epistolam indicio ultimae necessitatis indicem, qua impiam Corneliae avaritiam subvertit. Factum propter eximiam humanitatem, ne sub Coelio quidem auctore repudiandum.

Columella, *de Re Rustica* L. I. *Praef.* §. 30.

Nec Brutum aut Caelium Pollionemve cum Messala et Calvo deterruere ab eloquentiae studio fulmina illa Ciceronis.

L. Annaeus Seneca, *de Ira* L. III. c. 8. §. 4.

Coelium oratorem fuisse iracundissimum constat. cum quo, ut aiunt, coenabat in cubiculo lectae patientiae cliens: sed

(1) Haec est Editionis primae lectio, pro qua Editor Basil., quem nullae salebrae morabantur, audacter hyperbolicam, et ab historiae scriptore alienam, locutionem posuit: *cum ne a Diis quidem servari posset.* Invenit tamen, qui eius coniecturam sequerentur, Ursinum ad h. l. P. Manutium in Caelii Vita, aliosque plures. Forte Velleius scripsit: *cum in ocio ac quiete servari non posset.* Tale quid etiam Freinshemio in mentem venisse videtur, qui Suppl. Liv. 111. p. 602. hunc locum respiciens, ita scribit: »Nisi forte homo ingeniosissime nequam aeris alieni magnitudine, ut alii multi, ad res novandas impulsus est, quod servari se posse in ocio desperabat.'' Ruhnk.

difficile erat illi in copulam coniecto, rixam eius, cum quo haerebat, effugere. Optimum iudicavit, quidquid dixisset, sequi, et secundas agere. Non tulit Coelius assentientem, sed exclamavit: *Dic aliquid contra, ut duo simus.* Sed ille quoque, quod non irasceretur iratus, cito sine adversario desiit.

C. Plinius, *Hist. Nat.* L. VII. c. 49. (50.)

C. Mario, Cn. Carbone III. coss. a. d. quintum Kalend. Iunias, M. Caecilius (1) Rufus et C. Licinius Calvus eadem die geniti sunt; oratores quidem ambo, sed tamen dipari eventu (2).

(L. XXVII. c. 2.) Constat omnium venenorum ocyssimum esse Aconitum: et tactis quoque genitalibus feminini sexus animalium eodem die inferre mortem. Hoc fuit venenum, quo interemtas dormientes a Calpurnio Bestia uxores M. Caecilius accusator obiecit. Hinc illa atrox peroratio eius in digitum.

M. Fab. Quinctilianus, *Instit. Orator.* L. I. c. 6. §. 29.

Etymologia habet aliquando usum necessarium, quoties interpretatione res, de qua quaeritur, eget: ut cum M. Coelius se esse hominem frugi vult probare, non quia abstinens sit (nam id ne mentiri quidem poterat) sed quia utilis multis, id est, fructuosus, unde sit dicta *frugalitas.*

(L. VI. c. 3. §. 25.) Facto risus conciliatur, interim admixta gravitate: ut Marcus Coelius praetor, cum sellam eius curulem consul Isauricus fregisset, alteram posuit loris intentam; dicebatur autem consul a patre flagris aliquando

(1) Utroque loco scribendum: *M. Caelius.* Priore quidem sic corrigendum viderat Colerus ad Valer. Max. IV. 2. 7., quod, ut sexcenta alia, Harduinum fugit. Ruhnkenius ad Vell. Paterc. L. II. c. 68. p. 297.

(2) Plinii verba: *dispari eventu* malim referri ad diversa iudicia de oratoria utriusque facultate, quam ad dispar vitae mortisque genus; vid. Intpp. ad Iul. Caes. Comment. de B. Civ. c. 22 et Dion. Cass. Lib. XLII. c. 25. Weichert *de C. Licinio Calvo poeta* §. 2. (in: *Poetarum Latinorum Vitae et carminum Reliquiae* p. 90. n. 1.)

caesus: interim sine respectu pudoris, ut in illa *pyxide Coeliana*, quod neque oratori, neque ulli viro gravi conveniat.

(L. VI. c. 3. §. 69.) Cicero per allegoriam M. Coelium, melius obiicientem crimina, quam defendentem, *Bonam dextram, malam sinistram habere* dicebat.

(L. X. c. 1. §. 115.) Multum ingenii in Coelio, et praecipue in accusando multa urbanitas, dignusque vir, cui et mens melior et vita longior contigisset.

(L. X. c. 2. §. 25.) Sed non qui maxime imitandus, et solus imitandus est. Quid ergo? non est satis omnia sic dicere, quomodo Marcus Tullius dixit? Mihi quidem satis esset, si omnia consequi possem. Quid tamen noceret, vim Caesaris, asperitatem Coelii, diligentiam Pollionis, iudicium Calvi, quibusdam in locis assumere?

(L. XII. c. 10. §. 11.) Tum deinde efflorescat non multum inter se distantium tempore oratorum ingens proventus. Hic vim Caesaris, indolem Coelii, subtilitatem Calidii, diligentiam Pollionis, dignitatem Messalae, sanctitatem Calvi, gravitatem Bruti, acumen Sulpicii, acerbitatem Cassii reperiemus.

(L. XII. c. 11. §. 6.) Nemo minui velit id, in quo maximus fuit. Quid porro est honestius, quam docere quod optime scias? Sic ad se Coelium deductum a patre Cicero profitetur: sic Pansam, Hirtium, Dolabellam in morem praeceptoris exercuit quotidie dicens audiensque.

Corn. Tacitus, *Dialog. de Oratoribus* c. 17. sqq.

Sed transeo ad Latinos oratores, in quibus non Menenium, ut puto, Agrippam, qui potest videri antiquus, nostrorum temporum disertis anteponere soletis, sed Ciceronem et Caesarem et Coelium et Calvum et Brutum et Asinium et Messalam, quos quidem cur antiquis temporibus potius adscribatis quam nostris, non video.

(c. 18.) Haec ideo praedixi, ut si qua ex horum oratorum fama gloriaque laus temporibus acquiritur, eamdem docerem in medio sitam et propiorem nobis quam Ser. Galbae, Caio Carboni, quosque alios merito antiquos vocaverimus. sunt

enim horridi et impoliti et rudes et informes, et quos utinam nulla parte imitatus esset Calvus vester aut Coelius aut ipse Cicero!

(c. 21.) Quid ex Coelianis orationibus? nempe hae placent(1), sive universae sive partes earum(2), in quibus nitorem et altitudinem horum temporum agnoscimus. sordes autem illae verborum et hians compositio (3) et inconditi sensus redolent antiquitatem: nec quemquam adeo antiquarium (4) puto, ut Coelium ex ea parte laudet, qua antiquus est.

(c. 25.) Sic apud nos Cicero quidem caeteros eorumdem temporum disertos antecessit, Calvus autem et Asinius et Caesar et Coelius et Brutus suo iure et prioribus et sequentibus anteponuntur, nec refert, quod inter se specie differant, quum genere consentiant. at strictior Calvus, numerosior Asinius, splendidior Caesar, amarior Coelius, gravior Brutus, vehementior et plenior et valentior Cicero; omnes tamen eamdem sanitatem eloquentiae ferunt, ut, si omnium pariter

---

(1) Pithoeus: *Quid? ex C. orationibus, nempe* et ita Seebodius [item Orellius], sublato interpunctionis signo ante voc. *nempe*. Ego interrogandi signum post voc. *quid* sustuli [et sic Trossius]. Dronke ad h. l.

(2) Haec Pithoei emendatio est, quam Schulz. et Seeb. [item Orellius et Trossius] receperunt. Codd. Vaticani ita: *si universa parte serum in quibus.* Modius emendavit *si non universae, per partes attamen*, quod Lipsio placuit. Rutgersius: *si non universae, partes earum;* et sic Acidalius inserta insuper particula *at* ante voc. *partes;* sequuti sunt Heum. Brot. Oberl. Dronke ad h. l. Peerlkampius in censura Ed. Dronkianae (in Biblioth. Crit. nova Vol. V. P. 1. p. 132.) scribendum arbitratur: *Nempe hae placent, si animadvertas partes earum, in quibus* sq.

(3) *Hians compositio* non est, quae crebris litterarum vocalium concursibus efficitur (vid. Auct. ad Herenn. IV. 12, 18.), sed nexus verborum et orationis male iunctus et commissus. Quintil. VIII. 6, 62. *fit enim frequentissime aspera et dissoluta et hians oratio, si ad necessitatem ordinis sui verba redigantur.* XII. 9, 17. *non cohaeret, nec commissuris modo, ut in opere male iuncto, hiantibus, sed ipsa coloris inaequalitate detegitur.* Dronke ad h. l.

(4) *Antiquarii*, non solum veteris eloquentiae laudatores, sed qui ipsi verbis exsoletis, reconditis et priscis utuntur. Iis opponuntur cacozeli a Sueton. Aug. 86. De muliere Iuven. Satir. VI. 314. *ignotosque mihi tenet antiquaria versus.* Adde Gell. I. 10. Dronke ad h. l.

libros in manum sumpseris, scias, quamvis in diversis ingeniis, esse quamdam iudicii ac luminis similitudinem et cognationem. Nam quod invicem se obtrectaverunt, et sunt aliqua epistolis eorum inserta, ex quibus mutua malignitas detegitur, non est oratorum vitium sed hominum.

C. Plinius Secundus, *Epistolae* L. 1. ep. 20.

Frequens mihi disputatio est cum quodam docto homine et perito, cui nihil aeque in caussis agendis ut brevitas placet. — Hic ille mecum auctoritatibus agit, ac mihi ex graecis orationes Lysiae ostentat, ex nostris Gracchorum Catonisque, quorum sane plurimae sunt circumcisae et breves: ego Lysiae Demosthenem, Aeschinem, Hyperidem, multosque praeterea; Gracchis et Catoni, Pollionem, Caesarem, Caelium, in primis Marcum Tullium, oppono, cuius oratio optima fertur esse quae maxima.

Plutarchus, *Vita Ciceronis* c. XXXVI.

Καιλίου δὲ τοῦ ῥήτορος δεομένου παρδάλεις αὐτῷ πρός τινα θέαν εἰς Ῥώμην ἐκ Κιλικίας ἀποστεῖλαι, καλλωπιζόμενος ἐπὶ τοῖς πεπραγμένοις γράφει πρὸς αὐτόν· οὐκ εἶναι παρδάλεις ἐν Κιλικίᾳ· πεφευγέναι γὰρ εἰς Καρίαν ἀγανακτούσας, ὅτι μόναι πολεμοῦνται, πάντων εἰρήνην ἐχόντων (1).

Appianus, *de Bellis Civil.* L. II. c. 22.

Μίλωνι δὲ θράσος τοσόνδε περιῆν, ὡς οὐ δεδιέναι περὶ τῷ φόνῳ μᾶλλον, ἢ ἀγανακτεῖν ἐπὶ τῇ Κλωδίου περὶ τὴν ταφὴν τιμῇ. θεραπόντων οὖν καὶ ἀνδρῶν ἀγροίκων πλῆθος ἀθροίσας, καὶ ἐς τὸν δῆμον περιπέμψας

(1) Ipsa Ciceronis verba leguntur Ep. XV. §. 2. *De pantheris, per eos, qui venari solent, agitur mandatu meo diligenter; sed mira paucitas est: et eas, quae sunt, valde aiunt queri, quod nihil cuiquam insidiarum in mea provincia nisi sibi fiat; itaque constituisse dicuntur in Cariam ex nostra provincia decedere.*

χρήματα, τῶν τε δημάρχων Μάρκον Καίλιον (1) πριάμενος, ἐς τὴν πόλιν κατήει θρασύτατα. καὶ αὐτὸν ὁ Καίλιος εὐθὺς ἐσιόντα εἷλκεν ἐς τὴν ἀγορὰν ἐπὶ τοὺς παρ' αὐτοῦ δεδωροδοκηκότας, ὥσπερ ἐπ' ἐκκλησίαν· ὑποκρινόμενος μὲν ἀγανακτεῖν, καὶ οὐ διδόναι τῆς δίκης ἀναβολήν, ἐλπίζων δέ, εἰ αὐτὸν οἱ παρόντες μεθεῖεν, ἐκλύσειν τὴν δίκην τὴν ἀληθεστέραν. Καὶ Μίλων μὲν οὐ βουλεῦσαι τὸ ἔργον εἰπών, (οὐ γὰρ ἂν μετὰ σκευῆς καὶ γυναικὸς ἐπὶ ταῦτα ὁρμῆσαι) τὸν λοιπὸν λόγον κατὰ τοῦ Κλωδίου διετίθετο, ὡς θρασυτάτου δή, καὶ φίλου θρασυτάτων, οἳ καὶ τὸ βουλευτήριον ἐπικατέπρησαν αὐτῷ. Ἔτι δ' αὐτοῦ λέγοντος, οἵ τε λοιποὶ δήμαρχοι, καὶ τοῦ δήμου τὸ ἀδιάφθορον, ὁπλισάμενοι ἐνέβαλλον ἐς τὴν ἀγοράν. Καίλιος μὲν δὴ καὶ Μίλων, δούλων ἐσθῆτας ὑποδύντες, ἀπέδρασαν. πολὺς δὲ τῶν ἄλλων ἐγίγνετο φόνος, κ. τ. λ.

Dio Cassius, *Historia Romana* L. XLII. c. 22. sqq.

Ὁ δὲ δὴ Καικίλιος ὁ Μάρκος (2) καὶ ἀπώλετο, τολμήσας τὰ περὶ τῶν δανεισμάτων ὑπὸ τοῦ Καίσαρος ὁρισθέντα, καθάπερ ἡττημένου τε αὐτοῦ καὶ ἐφθαρμένου, λῦσαι· καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὴν Ῥώμην καὶ τὴν Καμπανίαν ἐκταράξας. οὗτος γὰρ ἔπραξεν ἀνὰ πρώτους τὰ τοῦ Καίσαρος· δι' ἃ καὶ στρατηγὸς ἀπεδείχθη. ὀργισθεὶς δὲ ὅτι τε μὴ ἠστυνόμησε, καὶ ὅτι καὶ ὁ Τρεβώνιος ὁ συνάρχων αὐτοῦ οὐ κληρωτός, (ὥσπερ εἴθιστο) ἀλλ' αἱρετὸς ὑπὸ τοῦ Καίσαρος

(1) Κεκίλιον et Κεκίλιος Edd. Mss. et antiqua versio Petri Candidi. Correxi mendam. Schweighaeuser.

(2) Per errorem Caecilius etiam dicitur in codicibus quibusdam Epitomae Livianae lib. CXI. et Quintiliani VI. 3. p. 534. Sed verum nomen est M. Caelius Rufus, idem pro quo Ciceronis Oratio, et cuius exstant ad Ciceronem epistolae, quarum postrema lib. VIII. Epist. 17. ad hanc ipsam rem, quam hic narrat Dio, respiciens ait se effecisse, ut praeter paucos foeneratores, nec homo nec ordo quisquam esset Romae nisi Pompeianus. Fabricius.

ἐς τὴν ἀστυνομίαν προεκρίθη, ἠναντιοῦτο πρὸς πάντα τῷ συνάρχοντι· καὶ οὔτ' ἄλλο τι τῶν ἐπιβαλλόντων οἱ ποιεῖσθαι ἐπέτρεπεν, οὔτε τὰς δίκας κατὰ τοὺς τοῦ Καίσαρος νόμους τελεῖσθαι συνεχώρει· καὶ προσέτι τοῖς ὀφείλουσί τι βοηθήσειν ἐπὶ τοὺς δεδανεικότας, καὶ τοῖς ἐν ἀλλοτρίων οἰκοῦσι τὸ ἐνοίκιον ἀφήσειν ἐπηγγέλλετο. προσθέμενος δὲ ἐκ τούτου συχνοὺς, ἐπῆλθε μετ' αὐτῶν τῷ Τρεβωνίῳ· καὶ ἀπέκτεινεν αὐτὸν ἄν, εἰ μὴ τὴν ἐσθῆτα ἠλλάξατο, καὶ διέφυγε σφᾶς ἐν τῷ ὄχλῳ. διαμαρτὼν δὲ τούτου, νόμον ἰδίᾳ ἐξέθηκε, προῖκά τε πᾶσιν οἰκεῖν διδοὺς, καὶ τὰ χρέα ἀποκόπτων.

(c. 23.) Ὁ οὖν Σερουΐλιος στρατιώτας τέ τινας ἐς Γαλατίαν κατὰ τύχην παριόντας μετεπέμψατο, καὶ τὴν βουλὴν τῇ παρ' αὐτῶν φρουρᾷ συναγαγὼν, προέθηκε γνώμην περὶ τῶν παρόντων· καὶ κυρωθέντος μὲν μηδενὸς (οἱ δήμαρχοι γὰρ ἐκώλυσαν) συγγραφέντος δὲ τοῦ δόξαντος, ἐκέλευσε τοῖς ὑπηρέταις καθελεῖν τὰ πινάκια· ἐπειδή τε ὁ Καικίλιος ἐκείνους τε ἀπήλασε, καὶ αὐτὸν τὸν ὕπατον ἐς θόρυβον κατέστησε, συνῆλθον αὖθις φραξάμενοι τοῖς στρατιώταις, καὶ τὴν φυλακὴν τῆς πόλεως τῷ Σερουΐλίῳ παρέδοσαν. καὶ ὁ μὲν οὐδὲν ἐκ τούτου τῷ Καικιλίῳ, ὡς καὶ στρατηγοῦντι, πρᾶξαι ἐφῆκεν, ἀλλὰ τά τε προσήκοντα τῇ ἀρχῇ αὐτοῦ ἄλλῳ τῷ τῶν στρατηγῶν προσέταξε, καὶ αὐτὸν ἐκεῖνον τοῦ τε συνεδρίου εἶρξε, καὶ ἀπὸ τοῦ βήματος καταβοῶντά τι κατέσπασε, τόν τε δίφρον αὐτοῦ συνέτριψεν.

(c. 24.) Ὁ δὲ ὀργὴν μὲν πολλὴν καθ' ἕκαστον αὐτῶν ἐποιεῖτο, δεδιὼς δὲ μὴ καὶ κολασθῇ (δύναμιν γὰρ ἀξιόμαχον ἐν τῇ πόλει οὐκ εἶχεν) ἐς Καμπανίαν πρὸς Μίλωνα νεωτερίζοντά τι ἀπᾶραι ἔγνω. ἐκεῖνος γὰρ, ἐπειδὴ μόνος τῶν φευγόντων οὐ κατήχθη πρὸς τοῦ Καίσαρος, ἔς τε τὴν Ἰταλίαν ἀφίκετο, καὶ πολλοὺς ἀνθρώπους, τοὺς μὲν, βίου δεομένους, τοὺς δὲ, καὶ τιμωρίαν τινὰ δεδιότας, συλλέξας, τήν τε χώραν ἐκακούργει, καὶ ταῖς πόλεσι

ταῖς τε ἄλλαις καὶ τῇ Καπύῃ προσέβαλε. πρὸς οὖν τοῦτον· ὁ Καικίλιος ἀφορμῆσαι θελήσας, ὥστε μετ' αὐτοῦ πᾶν ὅ, τι δύναιτο τὸν Καίσαρα λυπῆσαι, ἔπειτ' ἐπειδὴ μήτε ἐκ τοῦ προφανοῦς ἐκδημῆσαι ἐδύνατο, (παρετηρεῖτο γάρ) μήτ' αὖ ἐκδράναι ἐτόλμα, διά τε τἄλλα, καὶ ὅτι πολλῷ πλείω ἔν τε τῷ σχήματι καὶ ἐν τῷ ὀνόματι τῷ τῆς στρατηγίας ὧν καταπράξειν ἤλπιζε. τῷ τε ὑπάτῳ προσῆλθε, καὶ παρῃτεῖτο αὐτὸν, λέγων, πρὸς τὸν Καίσαρα ἀπελθεῖν βούλεσθαι. ὑποτοπήσας οὖν ἐκεῖνος τὴν διάνοιαν αὐτοῦ, ἐπέτρεψε μέν οἱ τοῦτο ποιῆσαι, ἄλλως τε καὶ ὅτι πολὺς ἐνέκειτο, τό, τε τοῦ Καίσαρος ὄνομα ἐπικαλούμενος, καὶ πρὸς τὴν ἀπολογίαν δὴ ἐπείγεσθαι σκηπτόμενος. συνέπεμψε δὲ αὐτῷ δήμαρχόν τινα, ἵν εἴ τι νεοχμῶσαι τολμήσειε, κωλυθείη.

(c. 25.) Ὡς δὲ ἐν τῇ Καμπανίᾳ ἐγένοντο, καὶ ὅ, τε Μίλων πταίσας πρὸς τῇ Καπύῃ ἐς τὰ Τιφάτρηνὰ ὄρη κατεπεφεύγει, καὶ ὁ Καικίλιος οὐκέτι περαιτέρω προὐχώρει, δείσας ὁ δήμαρχος οἴκαδε ἐπαναγαγεῖν αὐτὸν ἠθέλησε. προπυθόμενος οὖν ταῦθ' ὁ Σερουΐλιος, τῷ μὲν Μίλωνι πόλεμον ἐν τῇ βουλῇ ἐπήγγειλε, τὸν δὲ δὴ Καικίλιον ὑπομεῖναι μὲν ἐν τῷ προαστείῳ, μὴ καὶ ταράξῃ τι, ἐκέλευσεν. οὐ μέντοι διὰ φυλακῆς ἀκριβοῦς, ἅτε καὶ στρατηγοῦντα, ἐποιήσατο. ἀπέδρα τε οὖν, καὶ πρὸς τὸν Μίλωνα ἠπείγετο. κἂν ἔπραξέ τι ταραχῶδες, εἰ ζῶντα αὐτὸν εὑρήκει· νῦν δὲ, ἐκ τῆς Καμπανίας ἐκπεσόντος αὐτοῦ, καὶ ἐν Ἀπουλίᾳ φθαρέντος, ἔς τε τὴν Βρεττίαν ἦλθεν, ὡς ἐνταῦθά γέ τι συστήσων· καὶ ἐκεῖ, πρὶν ποιῆσαι λόγου τι ἄξιον, ἀπώλετο. συστραφέντες γὰρ οἱ τὰ τοῦ Καίσαρος πράττοντες, ἀπέκτειναν αὐτόν. καὶ οἱ μὲν οὕτως ἀπέθανον.

Macrobius, *Saturnalia* L. III. c. 14.

Priusquam a saltatione discedo, illud adiiciam, uno eodemque tempore, tribus nobilissimis civibus, non modo studium saltandi, sed etiam (si diis placet) peritiam qua glori-

arentur fuisse, Gabinio consulari, Ciceronis inimico, quod ei et Cicero non dissimulanter obiecit, et M. Caelio, noto inter turbas viro, quem idem Cicero defendit, et Licinio Crasso, Crassi eius, qui apud Parthos extinctus est, filio.

Paulus Orosius, *Hist.* L. VI. c. 15.

Coelius descivit a Caesare, ac se Miloni exsuli iunxit. Cumque ambo servorum manu Capuam oppugnare molirentur, occisi sunt.

Beniamin Weiske, *Auswahl der besten Briefe Cicero's* (Braunsw. 1796.) p. 69. sq.

Dieser Cölius war seit seinem 17 Jahre dem Cicero empfohlen, und zeigte immer viel Anhänglichkeit für ihn. Der Briefwechsel, welcher jetzt zwischen diesen beiden Herren geführt wurde, war äusserst wichtig; wichtiger aber natürlicher Weise die Briefe des Cölius, als die des Cicero. Denn jener stattete diesem über Alles Bericht ab, was in der damaligen kritischen Lage des Röm. Staats in Rom verhandelt wurde. Ein Theil dieser Briefe machen das achte Buch der Briefe *ad Diversos* aus. Sie sind, so weit wir sie verstehen, (den sie sind sehr verderbt) ungemein unterhaltend und belehrend. Angenehm ist es auch, den Charakter des Cölius, wie man ihn aus seinen Briefen kennen lernet, mit den Schilderungen, die die Alten von ihm machen, zusammenzuhalten. Er war, wie Manutius beweist, jähzornig, verschwenderisch, wollüstig, wankelmüthig. Dazu kann man setzen: schmähsüchtig, schadenfroh, übereilt in seinen Urtheilen, und verwegen in seinen Unternehmungen. Zu solchen Unternehmungen verleitete ihn sein Stolz, aber besonders auch seine zerrütteten Vermögensumstände. Nach dem Vellejus hatte er viel Aehnliches mit dem Curio. Doch scheint dieser ein natürlich feinerer Kopf und weit rascher gewesen zu seyn. Curio machte sich ohne grosse Gelehrsamkeit früh und mit glücklichem Erfolge wichtig: Cölius aber ging, als ein gebildeter Redner, langsam durch die Stafflen der Röm. Würden, und erlag seiner wichtigsten Unternehmung. Caes. B. C. III. 21. f.

C. M. Wieland, *M. Tullius Cicero's Sämmtliche Briefe übersetzt und erläutert* (Stuttgart 1814.) III. p. 138 sq.

M. Cölius Rufus, eines R. Ritters Sohn, schlosz sich seit seiner ersten Jugend an Cicero an, und gab frühzeitig so gute Hoffnung von sich, dasz ihn dieser schon in einer seiner Reden gegen Verres *lectissimum adolescentem* nannte. Während der Prätur und dem Consulat Cicero's war er immer einer seiner unverdrossensten Begleiter, Anhänger und Freunde. Er zeichnete sich unter den Rednern dieser Zeit, nach Quintilians und Cicero's eignem Urtheil, besonders als Ankläger, vorzüglich aus, und galt überhaupt, so lange er an Cicero hieng und sich von ihm leiten liesz, für einen sehr guten und patriotischen Bürger. Im Jahr 701 stand er als Tribunus Plebis zu Milo, und that (wiewohl vergeblich) sein möglichstes ihn zu retten. Manutius hat in der Einleitung zu dem VIII Buch ad Familiares (welches aus lauter Briefen des Cölius an Cicero besteht) mehrere Zeugnisse von Vellejus, Seneca, Tacitus, Quintilian u. a. zusammengetragen, welche seinen sittlichen Charakter in ein sehr nachtheiliges Licht stellen. Mich dünkt seine Briefe an Cicero, und die Rede des letztern, worin er ihn gegen die Anklage vertheidigt, dasz er die berüchtigte Clodia, seine ehemalige Liebschaft, aus einem höchst schändlichen Beweggrund habe vergiften wollen, machen demjenigen, der sich einen anschaulichen Begriff von diesem Cölius zu verschaffen Lust hätte, alle diese Zeugnisse (die uns die Menschen doch nur aus fremden Augen sehen lassen), sehr entbehrlich. Er war als Mensch und als Bürger weder besser noch schlechter als die meisten seines Standes in diesem heillosen Zeitpunkt der Römischen Republik, und schon allein die vertraute Freundschaft worin Cicero mit ihm lebte, spricht sehr stark zu seinem Vortheil. Aber wie viele andere hatte er sich durch eine ausschweifende Lebensart, schlechte Wirthschaft und ungeheure Schulden in eine Lage gesetzt, die aller Wahrscheinlichkeit nach die wahre Ursache seines Schwankes zwischen Pompejus und Cäsar war, und da es ihm bei dem letztern nicht gelingen

wollte, ihn im Jahr 704 zu den verzweifelten Unternehmungen trieb, welche seinen und seines Freundes Milo Untergang nach sich zogen.

B. G. Niebuhr, *Ergänzung des Inhalts eines wichtigen Fragments von Dio Cassius*, (in: *Rheinisches Museum für Philologie, Geschichte und griechische Philosophie* (Bonn 1828) 2. 4. p. 597.)

M. Cälius Rufus, den Cicero und Catull zärtlich liebten, ist einer von den reich ausgestatteten Menschen deren Andenken die späte Nachkommenschaft freundlich und wehmüthig schonen und bewahren soll, weil ein hartes Geschick sie jugendlich in eine revolutionnaire Zeit warf, deren Fluthen und Stürme ihre Kraft nicht bestehen konnte. Sein glühendes Herz hing sich mit Leidenschaft an jede Grösse und jede mächtige Kraft; das Dämonische und Gefährliche zog ihn vor allem unwiderstehlich; den Freund allein gehen zu lassen, vermochte er nicht, wenn auch sein heller Sinn ihm offenbarte dasz er auf böser Bahn sey. So gerieth er in die cäsarische Parthey; noch hatte sie nicht gesiegt als seine Augen schon geöffnet waren. In der Verzweiflung über sich selbst, am Schicksal, suchte er sich Zerstreuung und Berauschung in sinnlosen Unternehmungen.

A. Westermann, *Geschichte der Beredtsamkeit in Griechenland und Rom.* (Leipzig 1835.) Bd. II. §. 69. p. 206.

M. Coelius Rufus, von Cicero gebildet, doch ihm als Mensch und Staatsbürger unähnlich und durch seine Charakterlosigkeit von ihm hinweg zur Reactionspartei hinüber und hinab in den Schmutz der Gemeinheit gezogen; nur in seiner Beredtsamkeit erkennt man die treffliche Schule die ihn gebildet; ein ungestümes Temperament liess ihn, ganz im Gegensatze zu Calidius, seinen eigentlichen Beruf im Anklagen finden, und diess sowohl als eine gewisse Hinneigung zum Alterthümlichen mag seiner Rede den öfter gerügten rauhen Anstrich gegeben haben; doch scheint dieser Mangel durch andere Vorzüge seines Ausdruks, durch Urbanität und Erhabenheit, aufgewogen worden zu seyn.

Paulli Manutii

DISPUTATIO

DE

M. COELIO RUFO.

(Praemissa Commentario in Epistolarum, quae Familiares vocantur, Librum VIII.)

Ante quam Coelii Epistolas interpretemur, Vitam *eius brevi oratione complecti non alienum putavimus. Ac primum, de* honoribus, quos gessit; *tum, de eius* eloquentia; *tertio loco, de* moribus; *postremo de* obitu; *quae vel Cicero in suis libris, vel annalium litterae loquuntur, agendum videtur.*

M. Coelius Rufus, plebeii generis, patre equite Romano, Puteolis natus, sumpta virili toga, id est annum aetatis ingressus XVII. a patre continuo ad Ciceronem deductus est, nondum praetorium, sed eloquentia iam et probitatis opinione clarum: a quo etiam *lectissimus adolescens* appellatus est lib. 4. in Ver. c. 17. In illo aetatis flore cum artibus honestissimis erudiretur, M. Crassi domum frequentavit. Postea fuit assiduus cum Cicerone praetore; candidatumque assectatus est in petitione consulatus. Anno sequenti iterum petenti consulatum Catilinae studuit. Tribunatum plebis gessit Pompeio tertium consule, Milonemque, ob necem P. Clodii de vi reum, studiosissime defendit; qua de re sic in orat. pro Milone c. 33. *Caedi vidistis populum Romanum, concionem gladiis disturbari, cum audiretur silentio M. Coelius, tribunus plebis, vir et in republica fortissimus, et in suscepta caussa firmissimus, et bonorum voluntati, et auctoritati senatus deditus, et in hac Milonis sive invidia sive fortuna, singulari, divina, et incredibili fide.* In libro de clar. orat. c. 79.

M. Coelius, quam diu auctoritati meae paruit, talis tribunus plebis fuit, ut nemo contra civium perditorum popularem turbulentamque dementiam a senatu, et a bonorum caussa, steterit constantius. Nominant et Appianus et Dio tribunum plebis, quamquam apud utrumque mendose legitur *Caecilius.* Aedilis curulis fuit L. Paullo et C. Marcello coss. Praetor C. Caesare II. et P. Servilio coss. Orto civili bello, quaestor in Africa fuit C. Curionis, ut apud Caesarem lib. 2. de bell. civ. c. 23. scriptum est.

Eloquentiae in primis operam dedit, locumque inter summos oratores consecutus est. Itaque et Cornelius Tacitus et Quinctilianus inter eos oratores, qui novissimis reipublicae temporibus maxime floruerint, Coelium referunt, sua cuique tributa laude, Ciceroni, Caesari, Coelio, Calvo, Bruto, Asinio, Messallae. Coelii tamen scripta paullo asperiora, et antiquitatem redolere visa sunt; de quo sic Tacitus in dialogo de orat. c. 18. (Ser. Galba et C. Carbo) *sunt horridi, et impoliti, et rudes, et informes, et quos utinam imitatus non esset Calvus vester, aut Coelius, aut ipse Cicero.* et c. 21. *Quid? ex Coelianis orationibus? nempe hae placent, in quibus nitorem et altitudinem horum temporum agnoscimus. Sordes autem verborum, et hians compositio, et inconditi sensus redolent antiquitatem: nec quemquam adeo antiquarium puto, ut Coelium ex ea parte laudet, qua antiquus est.* Item c. 25. *Apud nos Cicero quidem ceteros eorundem temporum disertos antecessit, Calvus autem, et Asinius, et Caesar, et Coelius, et Brutus, suo iure, et prioribus, et sequentibus anteponuntur; nec refert, quod inter se specie differant, cum genere consentiant. Adstrictior Calvus, numerosior Asinius, splendidior Caesar, amarior Coelius, gravior Brutus, vehementior, et plenior, et valentior Cicero; omnes tamen eandem sanitatem eloquentiae ferunt.* Quinctilianus autem haec lib. 10. c. 1. *Multum ingenii in Coelio, et praecipue in accusando multa urbanitas, dignusque vir, cui et mens melior, et vita longior contigisset.* Subiungit c. 2. *Quid noceret, vim Caesaris, asperitatem Coelii, diligentiam Pollionis, iudicium*

Calvi, quibusdam in locis assumere? Et lib. 11. c. 1. Coelii verba recitat ex oratione, quam de vi reus pro se ipso habuit: de qua et Suetonius meminit in libro de clar. Rhet. c. 2. et Festus mentionem facit. Illa quoque notavimus apud eundem lib. 12. c. 10. *Vim Caesaris, indolem Coelii, subtilitatem Callidii, gravitatem Bruti, acumen Sulpicii, acerbitatem Cassii, diligentiam Pollionis, dignitatem Messallae, sanctitatem Calvi reperiemus.* Sed audiamus Velleium historiae suae lib. 2. c. 68. *Dum*, inquit, *in acie Pharsalica Africaque de summa rerum Caesar dimicat, M. Coelius, vir eloquio animoque Curioni simillimus, sed in utroque perfectior, nec minus ingeniose nequam.* Plus tamen ei facultatis in accusando fuisse, quam in defendendo, Quinctilianus ostendit lib. 6. c. 3. cum ait M. Coelium, quia melius obiiceret crimina, quam defenderet, *bonam dextram*, *malam sinistram* appellari a Cicerone solitum esse; idque confirmat ipse Cicero his verbis in libro de clar. orat. c. 79. *Eius actionem et splendida, et grandis, et eadem in primis faceta et perurbana commendabat oratio. Graves eius conciones aliquot fuerunt, acres accusationes tres, eaeque omnes ex reipublicae contentione susceptae: defensiones, etsi illa erant in eo meliora, quae dixi, non contemnendae tamen, saneque tolerabiles.* Tres eius accusationes, quas Cicero appellat, fuere: prima, in C. Antonium de maiestate, qui consulatum cum Cicerone gesserat: secunda, in Sempronium Atratinum de ambitu: (et utramque significat Cicero in oratione, qua eum defendit, c. 31. et 1.) tertia, ut opinor, in C. Laelium; ut ex Quinctiliani verbis, quae lib. 6. c. 3. leguntur, mihi videor posse coniicere. Scripsit etiam concionem *de aquis*, quam Frontinus de Aquaeduct. art. 76. nominat; eam fuisse non dubito contra aquarios et tabernarios: nam ipse epist. 6. [h. Edit. XIII. 3.] *nisi ego*, inquit, *cum tabernariis et aquariis pugnarem, veternus civitatem occupasset.*

Mores in eo minime cum ingenio conferendi. Iracundissimum appellat Seneca lib. 3. de Ira c. 8. Quinctilianus ait: *Dignus vir, cui et mens melior et vita longior contigisset.*

Cicero: *Nec vero M. Coelium praetereundum arbitror, quaecumque eius in exitu vel fortuna, vel mens fuit.* Nequam et prodigum fuisse, ex his Velleii verbis intelligitur: *Cum ne a diis quidem servari posset (quippe peior illi res familiaris, quam mens erat) in praetura novarum tabularum auctor exstitit.* Eodem pertinent illa Quinctiliani lib. 1. c. 6. *Haec* (etymologia) *habet aliquando usum necessarium, quoties interpretatione res, de qua quaeritur, eget: ut cum M. Coelius se esse hominem frugi vult probare, non quia abstinens sit, (nam id ne mentiri quidem poterat) sed quia utilis multis, id est fructuosus, unde sit dicta frugalitas.* Impudicum et lascivum ostendit oratio Ciceronis. Saltandi artem diligenter didicit, ingenuis indecoram atque inhonestam; itaque reprehendit eam Scipio Aemilianus in oratione contra legem iudiciariam Ti. Gracchi, cuius haec verba lib. 2. Saturn. c. 10. recitat Macrobius: *Docentur praestigias inhonestas, cum cinaedulis, et sambuca, psalterioque eunt in ludum histrionum; discunt cantare, quae maiores nostri ingenuis probro ducier voluerunt; eunt, inquam, in ludum saltatorium inter cinaedos virgines puerique ingenui. Haec cum mihi quisquam narrabat, non poteram animum inducere, ea liberos suos nobiles homines docere: sed, cum ductus sum in ludum saltatorium, plus medius fidius in eo ludo vidi pueris virginibusque quingentis: in his unum, quod me reipublicae maxime misertum est, puerum bullatum, petitoris filium, non minorem annis duodecim, cum crotalis saltare: quam saltationem impudicus servulus honeste saltare non posset.* Idem infra sic: *Uno eodem tempore tribus nobilissimis civibus, non modo studium saltandi, sed etiam, si diis placet, peritiam, qua gloriarentur, fuisse, Gabinio consulari, Ciceronis inimico, quod ei et Cicero non dissimulanter obiecit, et M. Coelio, noto inter turbas viro, quem idem Cicero defendit, et Licinio Crasso, Crassi eius, qui apud Parthos exstinctus est, filio.* Inconstantis ingenii fuit. Primum . tribunus plebis quo anno P. Clodius a Milone occisus est, optimatum partes defendit; qua de re sic Cicero in Bruto c. 79. *talis tribunus plebis fuit, ut nemo contra civium perditorum popularem turbulentamque dementiam*

a senatu, et a bonorum caussa, steterit constantius. Mox, orta inter Caesarem et Pompeium discordia, neutram in partem inclinare visus est. Id significat Cicero lib. 2. epist. 15. [h. Edit. XX. 3.] *Ipsa republica,* inquit, *nihil mihi est carius; in qua tu non valde te iactas: districtus enim mihi videris esse, quod et bonus civis, et bonus amicus es.* Deinde, mutata sententia, Caesaris ad partes transiit: ex quo illud Ciceronis in Bruto: *Hic cum summa voluntate bonorum aedilis curulis factus esset, nescio quomodo discessu meo discessit a sese, ceciditque, postea quam eos imitari coepit, quos ipse perverterat.* Profectum ad Caesarem cum C. Curione, ut eum ad civile bellum incitaret, scripsit Dio lib. 41. Demum a Caesare ipso descivit; idque cum ipse declarat epist. ult. [h. Edit. XXVI.] tum vero Velleius his verbis: *Accito Annio Milone, qui, non impetrato reditu, Iulianis partibus infestus erat, in urbe seditionem, aut magis occulte bellicum tumultum movens, primo summotus a republica, mox consularibus armis auctore senatu circa Turios oppressus est.* Caesar autem planissime lib. 3. de bell. civ. c. 20. 21. cuius verba subscribemus: *Iisdem temporibus Romae M. Coelius Rufus praetor, caussa debitorum suscepta, initio magistratus tribunal suum iuxta C. Trebonii, praetoris urbani, sellam collocavit; et, si quis appellasset de aestimatione, et de solutionibus, quae per arbitrum fierent, ut Caesar praesens constituerat, fore auxilio pollicebatur. — Ab hoc profectus initio, ne frustra ingressus turpem caussam videretur, legem promulgavit, ut sex pensionibus sine usuris creditae pecuniae solvantur. Cum resisteret Servilius consul, reliquique magistratus, et minus opinione sua efficeret, ad hominum excitanda studia, sublata priore lege, duas promulgavit: unam, qua mercedes habitationum annuas conductoribus donavit; alteram tabularum novarum: impetuque multitudinis in C. Trebonium facto, et nonnullis vulneratis, eum de tribunali deturbavit. De quibus rebus Servilius consul ad senatum retulit: senatusque Coelium ab republica removendum censuit. Hoc decreto eum consul senatu prohibuit, et concionari conantem de Rostris deduxit. Ille, ignominia et dolore permotus, palam se proficisci ad Caesarem simulavit,*

clam nunciis ad Milonem missis, qui, Clodio interfecto, eo nomine erat damnatus; atque, eo in Italiam revocato, quod, magnis muneribus datis, gladiatoriae familiae reliquias habebat, sibi coniunxit.

De obitu sic idem Caesar c. 22. *Coelius, profectus, ut dictitabat, ad Caesarem, pervenit Turios. Ubi, cum quosdam eius municipii sollicitaret, equitibusque Caesaris Gallis atque Hispanis, qui eo praesidii causa missi erant, pecuniam polliceretur, ab iis est interfectus.* Et Velleius: *In urbe seditionem, aut magis occulte bellicum tumultum movens, primo summotus a republica, mox consularibus armis auctore senatu circa Turios oppressus est.* Dio autem lib. 42. eadem fere, quae Caesar, de eius defectione et nece prodidit. At Epitome Liviana his verbis lib. 111. *M. Coelius Rufus praetor, cum seditiones in urbe concitaret, novarum tabularum spe plebe sollicitata, abrogato magistratu, pulsus urbe, Miloni exsuli, qui fugitivorum exercitum contraxerat, se coniunxit; uterque cum bellum molirentur, interempti sunt.*

Friderici Ellendtii

DISPUTATIO

DE

M. CAELIO RUFO.

(in: *Brevis Eloquentiae Romanae ante Caesares Historia*, praemissa Editioni Ciceronis de claris oratoribus §. 50.)

De M. Caelio Rufo ante nos dixit vir meritissimus P. Manutius, prooemii instar eius vitam commentariis suis in librum VIII. epistolarum ad Diversos praefigens. Cuius viri copiis ita utamur, ut, quantum potest fieri, quae ille tetigit, pleniora reddere studeamus.

Gens Caelia summis honoribus functa non est ante C. Caelium Caldum consulem cum Cn. Domitio a. 660; sed huius familia, cuius etiam apud Ciceronem saepius mentio fit, cum Caelio oratore nulla cognatione iuncta fuit (1). *M.* enim *Caelius Rufus* patre equite Romano, qui Puteolis negotiaretur, genitus est eodem quo C. Licinius Calvus anno, Cn. Carbone tertium et C. Mario C. F. consulibus, a. u. 672 (2). Artibus a patre viro severissimo diligenter eruditus est et adolescens ad Ciceronem et M. Crassum deductus, quorum disciplinae et moribus insuesceret (3). Sed forma corporis eximia ingenio mutabili et facili ad vitia praeditus, cum ante Ciceroni con-

---

(1) De Caeliorum originibus dixit Pighius vol. III. p. 28 et 201. Nomen saepe cum *Caecilio* confunditur: v. Ruhnk. ad Vell. II. 68. et ad Iul. Rufin. p. 211. et confer mendose scripta apud Plin. H. N. VII. 49. Dionem Cassium XLII. 22. et Appianum pluribus locis libri secundi de bello civili. *Caelius* an *Coelius* scribendum sit incertum est; de numis v. Zumpt. ad Verr. Accus. IV. 70, 181., de codicibus Oudendorp. ad Suet. Caes. 48. Ex titulis utrisque scripturae documenta peti possunt: v. nostra ad Cic. de Or. I. 25, 117. — (2) Plin. H. N. VII. 49. — (3) Cic. Cael. 4. Quintil. XII. 11, 6.

sulatum petenti dedisset operam, mox Catilinam libidinibus et luxuria adolescentes sibi pignerantem assectatus est. Deinde cum Q. Pompeio propraetore, quem sanctissimum virum dicit Cicero (1), in Africa fuit. Inde reversus C. Antonio consulari homine turpissimo accusando primum documentum voluntatis in rem publicam dedit. Quaestorem etsi Pighius a. 697 fuisse vult, equidem hunc magistratum non ante Pompeium et Crassum secundum consules ab eo gestum crediderim. Inter quaesturam et tribunatum anno 702 gestum interiecta videtur altera accusatio Caelii, qua L. Sempronium Atratinum praeturae candidatum de ambitu reum fecit. Sed mox ab huius filio subornante Clodia olim a se amata ipse de vi et veneficio postulatus est: contra quam accusationem et ipse se defendit et Ciceronem patronum habuit, cuius exstat oratio (2). Tribunus plebis Cn. Pompeio tertium consule sine collega cum bonis stetit Milonis defensor et legi Pompeiae de vi intercessionem minitans, quam privilegium in Milonem ferri dicebat (3). Quam ob rem summa, ut ait Cicero, bonorum voluntate ante annum suum aedilis factus est a. 704, qui erat provincialis Ciceronis. Huic igitur aedilis elegantissimas illas in Ciliciam epistolas scripsit, quae octavo libro Ciceronianarum continentur. Sed cum propter mores dissolutos aere alieno obrutus iam in ipso magistratu Caesaris causae sese addicere coepisset, quam ob rem Ciceronis discessu a se ipso discessisse dicitur (4), bello civili orto aperte ad illius factionem transiit. Hinc ab eo ductus in Hispaniam bello Afraniano praeturam multo ante annum accepit a. 706 C. Caesare secundum P. Servilio Isaurico consulibus (5). Sed cum Caesare in Graecia bellum gerente

(1) Cic. Cael. 31. — (2) De Caelio a semet ipso defenso testis Suetonius de cl. rhett. 2. [*Hunc eundem* (Lucium Plotium Gallum) — *nam diutissime vixit — M. Caelius, in oratione, quam pro se, de vi, habuit, significabat, dictasse Atratino, accusatori suo, actionem: subtractoque nomine*, hordearium *eum rhetorem appellat*, *deridens, ut inflatum ac levem et sordidum.*] — (3) Ascon. in prooemio ad Milonianam, cf. Cic. Mil. 33, 81. Brut. 79, 273. — (4) Cic. Brut. l. c. — (5) Errat Manutius quaestorem Curionis in Africa fuisse arbitratus, qui ipsius aequalis erat. [Vide supra p. 122.]

propter vim aeris alieni turbulentas leges ferre tabulisque novis instituendis operam dare coepisset, urbe pulsus et, cum accito Milone servitia per Italiam concitasset, circa Thurios interfectus est annum agens tricesimum quintum (1).

Moribus iracundus erat ad insaniam (2) et, cum insignem formae dignitatem foedi homines et mulieres impudicae expeterent, magis seculi quam sua culpa vitam vitiis inquinatam egit (3). Magnam enim Catilinam assectati infamiam esse oportebat, nec tantam iudicibus caliginem in causa Caelii offundere potuit Cicero, quin quod verum esset perspiceretur. Saltatorem, quod quam turpe Romanis convicium visum sit satis scitur, antiquiores secutus vocat Macrobius (4), nec honestiores sunt feminae libidinosissimae Clodiae amores (5); inquinatos mores ipsius paucis tangunt alii. De aere alieno, quod luxurioso vitae genere, fortasse etiam ambitiosis largitionibus contraxit, diximus.

Hinc inimicitias exercuit acerrime. Appium Claudium aedilis censorem, quod accusatorem lege Scantinia, quae fuisse videtur de incestu, in eum subornaverat, ipse eadem lege postulavit (6): quanquam utraque accusatio peracta non est. Quod Trebonius ipsi quamvis ante legitimum annum praeturam adepto praelatus est, praecipua causa fuit, cur a Caesare alienaretur.

Sed inter oratores nomen eius clarissimum fuisse omnis consensit antiquitas. Verbo eius mentionem faciunt Velleius (7) et Plinius Minor (8). Copiosiores sunt Cicero, Quintilianus, scriptor dialogi de oratoribus. Et ex eis quidem, quae oratorum princeps in Bruto habet (9), discimus eum cum elocutionis ornatu et facetiis tum actionis dignitate et

---

(1) Caes. B. Civ. III. 20. sqq. Liv. ep. CXI. Vell. II. 68. et ibi intpp. Dio XLII. 22. — (2) Seneca de ira III. 8. — (3) Cic. Att. VI. 1. Val. Max. IV. 2, 7. Quintil. I. 6, 29. — (4) Saturn. II. p. 389. ed. Zeun. — (5) P. Victorius Var. Lectt. XVI. 1. [Vide supra p. 108 sq.] — (6) Caelius ad Cic. Div. VIII. 12. [h. Ed. XXI.] — (7) Vell. II. 68. — (8) Plin. Epp. I. 20. — (9) Cic. Brut. 79, 273.

venustate praestitisse. In Oratore autem quae de maestitia oratoria sive de tristi et severo dicendi genere commemorantur (1) apprime ad Caelium describendum accommodata et in ipsa causarum, quas egit, indole posita sunt. Accusando enim quam defendendo meliorem fuisse cum ex Bruto Ciceronis, tum ex eiusdem quodam dicto apud Quintilianum servato cognoscimus (2). Alio Oratoris loco (3) significari videntur antiquariorum deliciae a Caelio captari solitae. Nam et epistolae Ciceronianarum corpore comprehensae, cum abundent ingenuo dicendi spiritu et facetiis, huius vitii tum primum orti documenta exhibent, et docet idem ipsius, quam profert Quintilianus, vocis *frugi* originatio (4). Hoc vitium nimia cupiditate, ut solent qui rem ambitiose defendunt, ita persequitur scriptor dialogi de oratoribus, ut Galbam et Carbonem imitatum videri dicat et alio quodam loco hiantem eius compositionem sordesque verborum reprehendat (5). Sed Secundus utriusque sententiae medius et iudex aequior granditatem consiliorum dignumque homine libero et futuro principe civitatis dicendi genus iustis laudibus extollit (6). Cum hoc consentiens Quintilianus multum in eo fuisse ingenii iudicat dignumque cui et mens melior et vita longior contigisset (7). Itaque dignus ei visus est, ex cuius orationibus exempla studiosorum imitationi in primis idonea excerperet (8). Excerpta ex eo sibi missa esse M. Antoninus Frontoni scribit (9). Post hunc a studiosis lectus et exemplo habitus non videtur: nam verba sane aliqua propter qualemcunque rationem grammaticam a Prisciano aliisque artis scriptoribus apponi videmus. A doctrina Caelius non tam natura et iudicio abhorruisse, quam turbulento ingenio et luxuria

(1) Cic. Or. 16, 53. — (2) Quintil. VI. 3, 69. — (3) Cic. Orat. 50, 169. — (4) Quintil. I. 6, 29. *Parricidatum* idem, pro *parricidio* puto, dixit secundum Quint. I. 6, 42: minime enim probabilis Spaldingii sententia de Antipatro historico intelligentis: medius enim ponitur inter aequales Messallam, Pollionem, Calvum. — (5) Dial. de Or. 18. et 21. — (6) l. c. c. 25. — (7) Quintil. X. 1, 115. — (8) Quintil. IV. 2, 123. v. infra. — (9) p. 32. ed. Berol. [ed. Francof. P. 1. p. 63. *Nec legi Coelianum excerptum, quod misisti, nec legam, priusquam sensus ipse venatus fuero.*]

vitae abductus esse videtur. Certe non reperitur alius Caelius, cui M. Varro librum suum de geometria inscripserit. Sed quod etiam a Cicerone librum sibi inscribi cupit(1) magis ambitiosi est, quam literarum studiosi: non enim familiaritate solum, sed etiam studiorum communione cum aequalium literatissimo coniunctus videri volebat.

Restat, ut de causis dicamus, quas egit, et de reliquiis orationum, testimoniis scriptorum per antiquitatem sparsis. Et accusationum quidem, quas tres, omnes e re publica, fuisse Cicero dicit (2), duae satis notae sunt *C. Antonii* et *L. Atratini.* Antonius Macedoniae proconsul per triennium praefuerat, ex qua provincia Caelius eum repetundarum accusavit damnavitque (3). Iniuria disceptatur pecunia multatus an in exsilium eiectus Antonius sit (4). Nam neque sola multa huius delicti culpam ea aetate luisse reos constat et miseria illa Antonii, de qua Cicero pluribus orationum locis queritur, non potest nisi exsulis intelligi (5). Subscriptores Caelius habuit Q. Fabium Maximum et C. Caninium Gallum; nec sane accurate locutus est Valerius Maximus, cum a Caninio damnatum Antonium dicit (6). Acta autem causa est Caesare et Bibulo consulibus a. 695 apud praetorem Cn. Lentulum Clodianum, qui usitatiore cognomento Marcellinus vocatur (7). Genus eius mixtum, de Macedonia provincia male habita et perduellionis Catilinariae societate: quam ob rem Antonius, cum repetundarum crimen Cicero patronus refutasset, de vi damnatus est. Vatinius enim beneficio legis suae, quae commodiorem iudicum sortitionem concedebat, clausula adiecta reum Antonium exclusit, quod acerbe exprobrat Cicero in oratione, qua eum in senatu concidit (8). Huius actionis duas particulas servavit Quintilianus (9); altera brevissima est. — Secunda accusatio in L. Atra-

(1) Divers. VIII. 3. [h. Ed. III. 4.] — (2) Cic. Brut. 79, 273. — (3) Vide Cic. p. Caelio 7. et 31. Pigh. III. p. 334. 340 sqq. — (4) Quippe ab intpp. ad Philipp. II. 23. — (5) Cic. in Vatin. 11. Phil. II. 38. — (6) Val. Max. IV. 2, 6. Iniuria Garatonus ad Cic. p. Sulla 33. Caelium subscriptorem Caninii vocat. — (7) Garat. l c. — (8) Cic. in Vat l. c. — (9) Quintil. IV. 2, 123. IX. 3, 58.

tinum de ambitu actione illa, quam Atratini filius ulciscendi patris causa Caelio intentavit, non multo prior videtur, etsi accuratius definiri illa res non potest; nihil eius praeter memoriam exstat. Atratinus enim damnati filius a Clodia, quam amaverat Caelius, instigatus hunc de vi postulavit admisto veneficii tentati crimine, quae res et ex Ciceronis defensione accurate scitur et accurato Quintiliani testimonio confirmatur. Duae enim particulae orationis a Quintiliano retentae sunt, qua Caelius quamvis Ciceronem patronum habens pro se ipse usus est (1). Acta ea causa est apud praetorem Cn. Domitium Calvinum a. 698 (2). — De tertia accusatione non satis certo constat. Plurimi quidem Pauli Manutii sententiam secuti sunt D. quendam Laelium a Caelio postulatum, cuius nomen in incertae cuiusdam orationis Caelianae loco exstat (3). Dissentire et suam quandam sententiam ponere videtur Ruhnkenius ad Vell. II. 68. Nomina enim Caelii et Caecilii saepe in libris confundi ostensurus praeter alios etiam Plinii locis duobus utitur, quorum alter sic vulgo scriptus exstat: *hoc* (aconitum) *fuit venenum, quo interemptas a Calpurnio Bestia uxores M. Caecilius accusator obiecit* (4). Non faceret, credo, Ruhnkenius, nisi de hoc M. Caelio Rufo cogitaret. Nam si alius est, quid refert ignoto nomini subrogare aliud ignotius? Scimus praeterea Calpurnium quendam Bestiam praeturae candidatum his temporibus de ambitu accusatum esse Cn. Lentulo L. Philippo consulibus, a. 698 (5). Verum si ea magni viri sententia fuit, refellitur ex Ciceronis Caeliana (6), qua duas res publica accusationes a Caelio tanquam voluntatis pignora habere dicitur. Hinc tertiam illam Caelii actionem post a. 700 poni oportet. Neque etiam de Ap. Pulchro lege Scantinia postulato cogitandum, quam accusationem terrendi hominis causa susceptam abiecit,

---

(1) Quintil. XI. 1, 51. VIII. 6, 53. v. Spalding. — (2) Drumann Hist. Rom. II. 413. — (3) Apud Quintil. VI. 3, 39. cf. 41. Nec sane magnopere contenderim cum Spaldingio utrum *D.* an *L. Laelius* rectius scribatur, dum constaret eo nomine hominem ab ullo aequalium reum actum. — (4) Plin. H. N. VII. 49. XXVII. 2. — (5) Cic. Q. Fr. II. 3. — (6) c. 32.

postquam voluntatem eius mutatam intellexit. Sed dudum suspicatus est idem ille Manutius (1) *Q. Pompeium Rufum* a Caelio de vi damnatum, hominem inter asseclas Clodii et in causa Milonis, cum tribunus esset a. 702, violentissimum. Hunc in exsilium pulsum ex Asconii argumento Milonianae scimus, sublevavitque eum Baulis exsulantem Caelius huius rei ipse iactator, cum ad Ciceronem in Ciliciam scripsit (2). Sublevatus autem ita est, ut Caelius matrem eius Corneliam Sullae dictatoris filiam coëgerit, praedia fidei suae commissa filio reddere; testis Valerius Maximus (3). — Contionis Caelii *de aquis* ad populum verba quaedam Priscianus ascripsit eademque apposuit Frontinus, apud quem *de aquaeductibus* inscribitur (4). — Incertarum orationum verba paucissima retinuerunt Quintilianus, Priscianus, Diomedes, Rufinianus (5).

---

(1) ad Div. VIII. 1. p. 827. — (2) Cic. Div. VIII. 1. [h. Ed. p. 4.] (3) Val. Max. IV. 2, 7. — (4) Prisc. VI. p. 678. P. Frontinus II. p. 242. ed. Keuchen. Huc spectat Caelii dictum Div. VIII. 6. [h. Ed. XIII. 3.] — (5) Quintil. I. 5, 61. Prisc. VI. p. 221. t. I. Kr. Diomedes p. 41. Rufinianus p. 211. Iniuria Caelio tribuuntur alia quaedam huius et Catonis Censorii nominibus per errorem confusis. Primum qui apud Festum in *oreae* p. 144. locus affertur ex oratione *Caelii pro se apud populum*, Caelii esse iam ea de causa non potest, quod huius aetate nemo nisi de perduellione apud populum causam dicebat. Neque quis fuerit L. ille Stertinius constat, sub quo qui hanc orationem habuit sese militasse dicit, nec urbe abfuit Caelius nisi contubernalis Q. Pompeii in Africa. Sed aequalis Catonis et in Hispania proconsul ex praetura L. Stertinius fuit annis 555 ad 558, narratque Cato de illis, quae ipse consul illo teste in Hispania fortiter fecisset. — Deinde orationis *de vestitu et vehiculis* particulae apud Priscianum VI. p. 694. s. 243. et XIII. 960. s. 566. item Catonis sunt, ut priore loco scribitur, non Caelii, ut Krehlius vult; qui cum Catonis nomen sine addito praenomine apud Priscianum dici solere affirmat, refutatur eiusdem orationis mentione VI. 276, Originum VI. p. 297., libri de re militari VII. p. 329. et aliis locis. — Quae Casp. Barthius Adversar. XXXVIII. 14. p. 1748. ex lexico vetere Terentiano tanquam Caeliana laudat, ea ubi reperiantur ignoro. — Sed sane defensio M. Saufeii acta a. 702. commemoratur ab Asconio ad Mil. p. 54.

Eruditorum Virorum

IUDICIA

DE

M. CAELII RUFI

EPISTOLIS.

HUBERTINUS CLERICUS, *Commentum in Epistolas Ciceronis*, ad init. Libri VIII.

Non minore equidem aliorum utilitate, quam labore meo, Bone Accursi mi doctissime atque optime, puto me septem M. C. epistolarum familiarium libros explicasse: ut te et nosse et praedicare audio: in quo non tam mea quam communi omnium causa tibi gratias ago. Non enim tam nostra causa, quam te multum velle scio, quam communi omnium utilitate studium laboremque nostrum a te probari intelligo. -- Itaque ad reliqua pergamus: in quibus velut obex quidam se nobis offert octavus hic liber epistolarum, non Ciceronis, sed Caelii: qui et rerum plurimarum obscuritate, et vitio librariorum ita difficilis atque confragosus est, ut iter nostrum, cuius celeritatem exigis, non impediturus, sed certe aliquantulum tardaturus videatur.

ANGELUS POLITIANUS, *Miscellanea* c. XXV.

Nactus sum Ciceronis Epistolarum Familiarium volumen antiquissimum, de quo etiam supra dixi; tum ex eo ipso alterum descriptum, sicuti quidam putant, Francisci Petrarchae manu. Descriptum autem ex ipso liquet multis argumentis, quae nunc omiserim. Sed hic posterior quem dixi codex, ita est ab indiligente bibliopola conglutinatus, uti una transposita paginarum decuria, contra quam notata sit numeris deprehendatur. Est autem liber in publica gentis

Mediceae bibliotheca (1). De hoc itaque uno, quantum coniiciam, cuncti plane quotquot extant adhuc epistolarum earumdem codices, ceu de fonte capiteque manarunt, in quibus omnibus praeposterus et perversus lectionis ordo, qui mihi nunc loco restituendus, quasique instaurandus. Quare adhibe quaeso animum, quicunque liberalis has literas amplecteris.

Igitur in libro octavo Caelii epistola ad Ciceronem sic incipit: (2) *Certe, inquam, absolutus est, me repraesentante pronuntiatum est, et quidem omnibus ordinibus, sed et singulis in unoquoque genere sententiis. Vide modo, inquis.* Hucusque ordo nondum interpellatus. Quae autem statim sequuntur verba *literis ostenderis etc.* diversa prorsus a superi-

(1) Praestantissimum Codicem sic describit A. M. Bandinius, *Catalogus Bibliothecae Mediceae Laurentianae* Vol. 2. p. 465. sqq.

(Plut. XLIX. Cod. IX.)

»Marci Tullii Ciceronis Epistolarum ad Familiares Libri XVI. Exemplar omnium vetustissimum, et quo tamquam archetypo usus est Franciscus Petrarcha ad illud exscribendum, quod innuimus paullo ante sub num. VII. Heic singulis Libris, primo excepto, praefiguntur nomina eorum, ad quos mittuntur Epistolae, sive Epistolarum inscriptiones, et quidem charactere grandiori exaratae. Graeca verba suis sunt locis apposita charactere item quadrato. Ad calcem pag. 118. *b.* legitur manu Angeli Politiani: *require signum hoc * ad finem octavae paginae;* qua quidem adnotatione indicatur transpositio illa Epistolarum Libri VIII. quam animadvertimus in Codicibus superioribus, ac praecipue in Codice I & IV. Quae autem paginarum inversio in Epistolis huiusce Libri ob bibliopolae incuriam contigisse indicatur ab Angelo Politiano in suis Miscellaneis Cap. XXV., ea in praesens nulla est, sed omnia recte progrediuntur iuxta cit. editionem, si aliquot tantummodo Epistolas excipias, partim in duas divisas, partim ex duabus unam conflatam, partim etiam ex aliis libris in hunc translatas. – – –

»Codex membranaceus MS. in 4. Saec. XI. formae quadratae, quantivis pretii, constans quaternionibus XXXIII. ut ex numerica nota Romana ad finem singulorum apposita eruitur, et in fine ultimi praeterea notatur num. 309. ab H. Lag. diligentissime collatus die 21 Octobr. 1740. et num. 9. designatus. Constat foliis scriptis 270. In Catalogo Montfauc. sub num. VIII.''

(1) Haec vulgo est epistola II libri VIII. [h. Ed. item Ep. II.] T. F. Benedictus. Huius etiam reliquae sunt annotationes; quibus commode explicuit Ang. Politiani disputationem, a se memoratam in Praef. ad L. VIII. Epp. Ciceronis, T. I. p. 657 sq.

oribus atque alterius epistolae invenias.(2) Perge porro ab ea ipsa epistola(3) deinceps numerare sequentes ad eam quae sit quarta et vigesima,(4) cuius ita principium: *Non me Hercules, nihil unquam enim*, quae cum superiore(5) continuatur, ut legas ita: *Certe, inquam, absolutus est, me repraesentante pronuntiatum est, et quidem omnibus ordinibus, sed et singulis in unoquoque genere sententiis. Vide modo, inquis. Non me Hercules. Nihil unquam enim.* Atque ita reliqua subtexe, donec ab ipsa,(6) quam diximus alterius esse epistolae, perveneris ad sequentem decimam,(7) cuius hoc initium: *Sic tu, inquis, Hircium?* quam eo usque lege, dum in verba haec incidas *Si ullam spem*,(8) quae simul offenderis, totum hoc delebis: *Aut in tecto vitii, caetera mihi probabuntur.* Totum hoc, inquam, delebis aut induces, quoniam aliena plane huic loco. Mox denuo recurres ad ea, quae(9) posita perperam sunt, in illa Caelii, de qua primitus dictum, atque ita continuabis lectionem: *Si ullam spem his literis ostende-*

(2) Sunt enim verba epistolae IX libri VIII. [h. Ed. Ep. VII. §. 3.]

(3) Nempe a secunda L. VIII.

(4) Quae hic dicit, accurate conveniunt cum Torgav. Dresd. I. II. V. in quibus, si inde ab epist. IX libri VIII, quae cum epist. II libri VIII male coniuncta est, sequentes epp. XXIII, nempe octo reliquas libri VIII, et quindecim priores libri IX numeraveris, tandem occurrunt verba *non mehercules, nihil unquam enim* — hoc tantum discrimine, ut initium novae epistolae non faciant, sed in media epistola, quae vulgo est epist. XV libri IX, collocentur. Excipi tamen debet Dr. V, qui etiam, sicut Politianus indicat, cum verbis *Non, mehercules* - novam epistolam male inchoat, praemissa inscriptione: *Coelius s. p. d. Ciceroni suo.*

(5) Iterum intelligit ep. II libri VIII.

(6) Nempe inde a verbis illis ep. II libri VIII. *Non, mehercules, nihil unquam enim.*

(7) Haec vulgo est ep. IX libri VIII. [h. Ed. VII.] Causam vero, quare eam Politianus h. l. *decimam* appellaverit, infra attuli in nota 11.

(8) In Dr. I. II. V. haec verba *aut in tecto vitii* etc. ab illo loco aliena, vere reperiri, in antecedentibus iam indicavi. In Torgav. hic est lacuna. Memoratu dignum est, etiam in verbis *Si ullam spem*, desinere Graevii I codicem.

(9) Iterum intelligit verba epist. II libri VIII, quae perperam ex hac IX Ep. libri VIII depromta erant: *mihi literis ostenderis, me isto missurum.*

ris ita tractim legens, ad epistolam pervenies tertiam ab hac et vigesimam, sic videlicet incipientem: (10) *Duabus eius epistolis respondebo*: clausamque hac fini, *Si enim nihil est in parietibus, aut in tecto vitii, caetera mihi probabuntur.* Post eam, quae statim consequi debet epistola, quae nunc ab illa undecima, (11) sic ordines: *Delectaverunt me tuae literae.* Comprobat hunc ordinem quem posuimus, non solum codex uterque, vel ille antiquus, vel hic ex eo statim natus, a quo caeteros quoque omneis Bibliopolae vitio depravatos liquet, sed intellectus etiam, sensusque ipse luce clarior, sic ut acutius inspicienti, quidquid usquam prorsus obscuri est ambiguique, tollatur.

Iod. Badius Ascensius, *Familiaris Expositio Epp. Ciceronis* ad initium L. VIII.

Totus hic octavus liber est Marci Caelii, eius videlicet, ad quem lib. 2. a Cicerone scriptae sunt complures epistolae. Verum, quia ad Ciceronem scriptae sunt, et ad Ciceronianum stylum accedunt, inter Ciceronianas computantur.

Philippus Melanchthon, *Commentarius ad Ciceronis Epp. Fam.* ad init. L. VIII.

Huius libri epistolae non tam propter eloquentiam, quam propter historiam legendae sunt. Sunt autem scriptae absente

---

(10) Haec est epist. XV libri IX.

(11) Haec iterum ex vulgatis edd. intelligi non possunt, quomodo epist. XVI libri IX fuerit undecima post Ep. XV libri IX, si vel epistolae octo libri VIII interiectae essent. Sed tenendum est, in plurimis libris, sicut in Torgav. Dr. I. II. V, ante epistolam VI libri VIII repeti epistolam IX libri II, quae a Cicerone eidem Coelio scripta erat. Porro animadverti debet, in plurimis libris, ut in Torgav. Dr. I. II. V. Asc. I. Nic. Scaelsii libro etc. inde a verbis §. 17. epist. VIII. libri VIII. [h. Ed. Ep. VIII. §. 6. m.] *Quod M. Marcellus consul V. F. de provinciis consul* - novam epistolam male inchoari. Si igitur has duas epistolas, quae in libris manuscriptis simul illis VIII epistolis perverse adiiciuntur, Politiani sententia etiam numeraveris, X efficientur epistolae, quae inter epistolam XV et XVI libri IX leguntur et ita ep. XVI libri IX recte dicitur *undecima* esse ab illa ep. XV libri IX, sicut supra epistolam IX libri VIII appellaverat *sequentem decimam*.

Cicerone in provincia, sub initium belli civilis. Et Caelius scripsit Ciceroni istius belli praeludia. Sunt tales epistolae, quales etiam hoc tempore possunt scribi ab aliquo, qui mediocriter sit doctus: non sunt obscurae, ut putant quidam, modo quis respiciat ad historias. Sunt autem referendae ad superiores, quas Cicero scripsit ad Caelium.

P. Victorius, *Explicationes suarum in Ciceronem Castigationum* ad init. L. VIII. Epist.

Epistolas M. Coelii existimamus nos studiosos animadvertisse, quam in vulgatis codicibus mendosae et corruptae essent: cum autem non eiusdem integritatis in his vetustum codicem invenerimus, quam in Ciceronis epistolis illum retinere vidimus; etsi multis partibus melior illis sit: deserti ea ope non potuimus ea sanare vulnera, quae apparent. Quidquid tamen boni potuimus, fecimus, multa quae trunca et mutila credimus, nulla nota adposita reliquimus: nec enim unum aut alterum locum signare voluimus, reliquos nobis suspectos transire, ne videremur illos nostro iudicio confirmasse et probasse. Quod si cunctis, quibus parum confidimus locis, signum adponere voluissemus, infinitum fuisset, et quaedam fortasse propter huius duriorem et asperiorem stylum immerito a nobis damnata essent, quae recte se haberent. Fatemur igitur noluisse nos hoc periculum subire: eruditis suum in hoc iudicium relinquimus: nostrum in re tam dubia et incerta non interponimus. Qui a melioribus codicibus adiuti maiorem operam hic navare potuerint, magno nos sibi beneficio obligabunt: ipsi de quibusdam, et iis quidem maioris momenti eorum quae immutavimus, rationem, qua ducti id fecimus, adferemus.

Idem, *Ibidem* ad Epist. VIII. §. 3.

Est certe miserum videre, quot vulneribus confectus sit hic M. Coelii liber, cum praesertim ea sint, quae vix, aut ne vix quidem sanari queant. Nos quod tutius remedium visum est, ubi nullam meliorem opem adferre possumus, veterem plagam nudamus: feliciorique medico tam desperatum aegrotum libenter tradimus.

IDEM, *Ibidem* ad Epist. ult. §. 1.

Nos, quod potuimus, praestitimus in his Coelii epistolis: multa nos praeteriisse fatemur. Qui meliorem codicem nacti fuerint, quae restant non pauca vulnera, sanare facilius poterunt. Alius mihi visus est in hoc libro, quam in ceteris, Mediceus codex: nos ab eo destituti, quantum cupiebamus, facere non potuimus: non enim divinare nostrum consilium est. -- Iaceant igitur hi loci, donec ex melioribus codicibus vera lectio elucescat.

HENRICUS STEPHANUS, *De varia Epistolarum Ciceronis scriptione*, (in: Commentationes Diversorum, partim antea, partim nunc primum editae, in Epist. M. T. Ciceronis, quae olim Familiares dictae, nunc rectius ad Familiares appellantur. Anno M. D. LXXVII. Excudebat Henr. Stephanus.) p. 205 seqq.

Sunt vero et aliae epistolae, quae ab interrogatione initium habent: quarum est decima septima libri noni, *Non tu homo ridiculus es, qui, quum Balbus noster apud te fuerit, ex me quaeras quid de istis municipiis et agris futurum putem?* Quae tamen non sunt interrogantis simpliciter, sed cum admiratione: quum in praecedentibus [L. II. Ep. 8. L. VII. Ep. 13. L. IX. Ep. 21. L. XII. Ep. 30. ad Att. L. IV. Ep. 5.] esset potius interrogatio cum indignatione: vel potius interrogatio prae se ferens quandam indignationem, quum tamen nulla esset. Imo vero ibi quoque admirationem coniunctam esse, non male fortasse quispiam dixerit. Est quidem certe et in decimo tertio libro una quae a particula Quid incipit, sicut octava libri secundi [*h. Ed.* Ep. IV.], sed ita ut non eandem vim utrobique illa particula habeat. Nam in principio illius quam habet liber XIII [Ep. 47.], legimus *Quid ego tibi commendem eum, quem tu ipse diligis?* Ab interrogatione initium habet et undecima libri secundi [*h. Ed.* Ep. XV.], *Putaresne unquam accidere posse ut mihi verba deessent?* Videndum autem an de his posterioribus idem quod de prioribus illis dici possit, Ciceronem ex abrupto exordiri (ita enim vulgo loqui solent) sicut Coelium in quatuor libri sui epistolis id facere, eodem modo di-

cere licebit. Nam libro octavo, quem scimus non alias quam eius habere epistolas, legimus p. 224. [*h. Ed.* Ep. III.] *Estne? vici? et tibi, quod negaras discedens curaturum, literas mitto?* Item p. 230. [*h. Ed.* Ep. VII.] *Sic tu, inquis, Hirrum tractasti?* Et p. 249. [*h. Ed.* Ep. XXIII.] *Ecquando tu hominem ineptiorem, quam tuum Cn. Pompeium, vidisti? qui tantas turbas, qui tam nugax esset, commorit?* Et in principio illius, quae librum illum claudit [*h. Ed.* Ep. XXVI.] *Ergo me potius in Hispania fuisse tum, quam Formiis, quum tu profectus es ad Pompeium?*

Idem, *Ibidem* p. 231.

Comica etiam quaedam loquendi genera mirari apud Ciceronem non debemus, quum etiam locos plerosque ipsorum comicorum suo sermoni accommodare videamus: et quidem nonnullos ita ut eorum verba a lectore pro verbis eius haberi possint. Cuiusmodi sunt ista initio epistolae 14 Libri XIV ad Atticum *Itera dum eadem ista mihi*: quotusquisque est enim qui hîc esse aliquid ex comoedia sumptum sit suspicaturus? At sunt Plautina verba tamen: quorum prima duo, *Itera dum*, in superioris temporis editionibus male in unum confusa erant *Iterandum.* Videmus autem et Coelium, inter illos quorum epistolae Ciceronianis sunt admixtae, quibusdam loquendi generibus comicis delectari; veluti quum scribit p. 232. [*h. Ed.* Ep. VIII. 1.] *Rufum, mel ac delicias tuas.* Item p. 247. [*h. Ed.* Ep. XXII. 1.] *Nunquam tibi oculi doluissent, si in repulsa Domitii vultum vidisses.* Illa enim verba sumpsit ex eo loquendi genere quo Terentius utitur in Phormione [V. 8. 63.] *Vin' primum hodie facere, quod ego gaudeam, Nausistrata, Et quod tuo viro oculi doleant?*

Ger. Io. Vossius, *de Vitiis Sermonis* Praef.

Habuit sermo Latinus aetatem crescentem, habuit decrescentem, habuit inter utramque vigorem suum. Crescentem divido in pueritiam, et adolescentiam. Ad priorem refero Saliares Numae Pompilii, ac similes hymnos, quos aevo optimo vix sacerdotes sui intelligebant: item leges Regias, ac

Decemvirales; nec non Pontificum leges, et Annales; ad haec columnam rostratam Duillii, aliaque his similia. Adolescentiam auspicamur a Livio Andronico; quem secuti inter alios Naevius, Ennius, Pacuvius, Attius: meliorque his Porcius Cato, cuius libri de R. rustica perdurarunt: caeterorum fragmenta solum habemus. Optimi vero in adolescentia hac Plautus, Terentiusque. Vigorem vero, ac maturitatem, in prosa habent Cicero, Caesar, Caelius, Sallustius, Cornelius Nepos, Livius, Velleius, M. Seneca: in carmine Lucretius, Catullus, Maro, Horatius, Tibullus, Propertius, Gratius, Ovidius, Pedo Albinovanus et his aequales.

Io. Alb. Fabricius, *Bibliotheca Latina* Vol. 2. p. 110. *p.*

Liber VIII. non complectitur Epistolas Ciceronis, sed M. Coelii Rufi ad Ciceronem. Hic est Coelius, quem Vossius in praefat. ad libros *de Vitiis Sermonis* adiungere non dubitat Ciceroni, Caesari aliisque scriptoribus primae aerae, qui vigorem ac maturitatem in latina dictione sunt consecuti.

Christoph. Cellarius, *Curae posteriores de Barbarismis et Idiotismis Sermonis Latini* Prolegom. p. 13. sq.

Post aurea illa Aetas, quae in caelum Latinitatem extulit, felicissimo sidere exorta est. Primas in ea fert, et quidem merito suo, M. Tullius Cicero -- Aequales fuerunt C. Iulius Caesar -- Crispus Sallustius -- Cornelius Nepos -- M. Terentius Varro -- Hirtius Pansa -- et clarissimi viri, quorum epistolae inter Ciceronianas servantur, Pompeius Magnus, Servius Sulpicius, M. et D. Bruti, C. Cassius, Trebonius, Plancus, Caelius, aliique, illaudati esse non possunt.

Idem, *Historia explicandis epistolis Ciceronis accommodata*, (edid. Io. Mich. Heusinger, post: Fabricii Historia M. Tullii Ciceronis per consules descripta *Budingae* 1727.) p. 245 sqq.

Historia Libri VIII.

Nihil in hoc libro Ciceronis est; sed omnes epistolae M.

Coelii ad Ciceronem. Is Coelius amicus Ciceronis, et in arte oratoria discipulus fuit; quamvis suavitatem stili Ciceroniani non assecutus est. Nihilominus inter claros oratores refertur, non tantum a Cicerone in Bruto sive de claris oratoribus cap. LXXIX. verum etiam ab auctore dialogi de oratoribus seu de caussis corr. eloqu. cap. XVII. XXI. et XXV. qui medio loco (cap. XXI.) de stilo eius ita iudicat. *Quid ex Coelianis orationibus? nempe hae placent; si non universae, at partes earum, in quibus nitorem et altitudinem horum temporum agnoscimus. Sordes autem verborum, et hians compositio, et inconditi sensus, referunt antiquitatem.* Non est ergo, quod mireris, huius libri epistolas multas habere antiquitatis formulas, multa proverbia, et alia, quibus de industria se Cicero abstinuerat: quae, nisi commentariis adiutus, aut aliunde gnarus antiquitatum, non facile intelliget. Ad historiam quod attinet, scriptae sunt epistolae pleraeque ante civile bellum, eo anno, quo Cicero proconsul Ciliciam provinciam regebat: quo tempore M. Coelius primum candidatus aedilitatis erat, et adeptus honores splendidissimos ludos edidit, quibus apparandis Ciceronem sollicitat de pantheris in provincia sibi capiendis, ep. II. VI. IX. et alibi.

Per idem tempus Parthi, offensi invasione Crassi, Syriam infestabant traiecto Euphrate. Huic quod proxima erat Cilicia, Ciceronis provincia, etiam huic aliquid mali metuebatur a Parthis: et iam rumor erat approperasse, ep. V. et VI. Sed illi non Parthi fuerunt, verum praedones Amani montis, quos vicit et perdomuit Cicero. Vid. lib. XV. ep. IV.

Orto civili bello, Coelius ad Caesaris partes se conferebat, suasitque Ciceroni, ut idem faceret: de qua re exstant ep. XVI. et XVII. sed mutavit tandem consilium. Caesare enim in Graeciam profecto, Coelium Romae praetorem peregrinum reliquit, Trebonium urbanum praetorem. Coelius aegre ferens sibi Trebonium praelatum esse, turbas concitavit: sed cohibitus a consule Servilio, ad Milonem exsulem se contulit, instructum gladiatoribus, aliisque ad pugnam paratum. Qui dum in Italia vagabantur, uterque oppressus est: de qua re ipse Caes. B. C. lib. III. cap. 20 sqq. Initia huius tumul-

tus habes in epistola h. l. ultima. Sed ad priores revertimur, scriptas Cicerone proconsule: in quibus quod publicae erat caussae, partim diximus; partim, quae ad initia civilis belli pertinent, excerpi volumus ex ep. XIV.

Privatae caussae sunt de Tulliae, Ciceronis filiae, nuptiis cum Dolabella, ep. XIII. et Dolabellae temeritate adversus Appium Pulchrum, quem accusaverat: item de Dolabella XV viro, i. e. collega eorum, quibus solis licebat Sibyllinos libros inspicere: de supplicationibus Ciceroni decretis ep. XI. de Appii censura, quam exagitat ep. XIV sub finem, et de aliorum accusationibus.

Antiquitates in hoc libro et formulae solemnes bene multae occurrunt: ritus *prosequendi extra urbem* eos, qui in provinciam mittebantur, ep. I. sub init. in notis; otium *subrostranorum*, ead. ep. n. 9. *theatrum Curionis*, ep. II. *ludi venationum*, ibid. et VI. *ludi Romani*, ep. VIII. *paludatum exire*, ep. X. n. 5. *lex viaria*, ep. VI. n. 13. Et formulae: *descendere* in campum, ep. IV. n. 2. *expensum ferre*, ibid. n. 9. *ad urbem esse*, ibid. n. 10. *auctoritates perscriptae*, ep. VIII. n. 12. *scribendo adesse*, ibid. *lomentum aut nitrum esse*, ep. XIV. n. 10. *psecade natus*, ep. XV. n. 8. *munusculum alicui deferre* (in malam partem), ep. VIII. n. 3. et XII. n. 2.

Gottl. Cortius, *Annotat. ad Ciceron. Epist. ad Diversos* L. VIII. Ep. 7. §. 3.

In tantis tenebris vix nos expedimus. Coelii autem epistolis, si tanti essent, singularem quamdam curam deberi existimamus, quae nobis certe properantibus non foret integra.

Ioh. Nicolaus Funccius, *Tractatus de virili aetate Latinae Linguae*, Pars altera (Cap. I. de Claris Oratoribus § VII.) p. 15.

Supersunt Ciceronis ad M. Coelium, et vicissim huius ad illum Epistolae: ex quibus de stilo ipsius aliquo modo iudicare possumus. In primis vero audiendus est iudex stili Romani optimus, (Cicero de claris orator. cap. 79.) qui et

splendidam, et grandem, et facetam, et perurbanam orationem illi tribuit. Sed auctor dialogi de oratoribus, (cap. 25.) amariorem putavit Coelium esse ceteris oratoribus, qui et prioribus et sequentibus anteponuntur. Alibi, (cap. 21.) *Quid*, inquit, *ex Coelianis orationibus? nempe hae placent sive in universa parte factum in quibus nitorem et altitudinem horum temporum agnoscimus. Sordes autem verborum, et hians compositio et inconditi sensus redolent antiquitatem. Nec quemquam adeo antiquarium puto, ut Coelium ex ea parte laudet, qua antiquus est.* Utrum praestet suapte prudentia quisque viderit. Eiusmodi certe nihil in Epistolis Coelianis, quae supersunt, reperiri persuasus sum: neque amori cuiusquam indulgere adeo solitus est Cicero, ut recte genium orationis ipsius desierit iudicare: cuius iudex acerrimus semper et ubique fuit.

Idem, *Ibidem* p. 99. n.)

Liber octavus non Ciceronis, sed M. Coelii Rufi epistolas complectitur, cum Ciceronianis quidem ratione stili non comparandas, sed tamen quae in eo laudandae sunt, quod praesertim ad historiam faciant, ut in primis est epistola decima sexta.

Conyers Middleton, *the Life of Marcus Tullius Cicero*, Sect. VII. (Vol. 2. p. 189. edit. Lond. 1801.)

Upon leaving Italy, he had charged his friend Caelius with the task of sending him the news of Rome; which Caelius performed very punctually, in a series of letters, which make a valuable part in the collection of his familiar epistles: they are polite and entertaining; full of wit and spirit; yet not flowing with that easy turn, and elegance of expression, which we always find in Cicero's.

Ioh. Frid. Noltenius, *Recensio scriptorum Latinorum Critica*, (adnexa ad calcem Lexici Latinae Linguae Antibarbari.) p. 1843. seq.

Merito epistolis ad Atticum, in quibus ἀττικίζει et ea δυσνόητα profert, quae a nemine eruditorum, si unum Ciceronem et

Atticum unum exceperis, satis perspecta unquam fuere, praefero epistolas ad Familiares: itemque eas, quae ad Quintum Fratrem exaratae sunt: inque his ipsis tamen omitti possunt eae, quae a Coelio, et Tirone, et Cicerone Filio stilo duriusculo, compressione rerum brevi, et ob eam ipsam causam interdum subobscuro conscriptae sunt; seligendae vero, quas in Proconsulatu scripsit: iis enim nihil solet esse elegantius, nihil omnino tersius. Denique seligenda est eiusmodi editio, in qua ordine Chronologico epistolae dispositae sunt, qualis est ordo Siberianus.

Io. Gottl. Heineccius, *Fundamenta stili cultioris* P. III. c. 1. §. 5.

Merito Ciceronis epistolae in manibus erunt, in quibus et elegantia et ars periodica tanta adparet, ut facundiam ex earum lectione se adsequutos multi fateantur. -- Selectu tamen et ordine hic quoque opus est. Merito ergo I.) *epistolis ad Atticum*, in quibus Cicero ἀττικίζει, praefero *epistolas ad Diversos*, nec non *ad Quintum fratrem*. II.) in his ipsis omitti possunt eae, quae a Coelio, nec non a Tirone scriptae sunt; III.) seligendae vero in primis epistolae, quas in proconsulatu scripsit. Iis enim nihil solet esse elegantius.

Traug. Fred. Benedict, *M. Tullii Ciceronis Epistolar. Libri XVI.* (Lips. 1790.) Praef. ad L. VIII. T. I. p. 654 sqq.

Librum octavum, qui Coelii ad Ciceronem epistolas continet, pluribus scatere vitiis librariorum, eaque labe omnes fere Codices, ne antiquissimis quidem exceptis, infectos esse, Victorius iam docuit in praefatione huic libro praemissa, cuius verba sunt: *Epistolas M. Coelii existimamus nos studiosos animadvertisse, quam in vulgatis codicibus mendosae et corruptae essent: cum autem non eiusdem integritatis in his vetustum codicem* (Mediceum) *invenerimus, quam in Ciceronis epistolis illum retinere vidimus, etsi multis partibus melior illis sit: deserti ea ope non potuimus ea sanare vulnera, quae apparent.* — Conferantur etiam eius notae ad ultimam libri

VIII epistolam. Idem Victorii iudicium suo quoque Cortius confirmavit in notis ad Epist. VII libri VIII.: *Coelii epistolis, si tanti essent, singularem quandam curam deberi.* — Neque tamen in eo probandam censeo Cortii sententiam, quod tanti non habet Coelii epistolas, ut Criticorum emendationibus a vitiis purgentur; sed illis verbis tantum festinationem, quam fatetur vir doctus, excusare voluit. — Ante illos autem interpretes Hubertinus Clericus, antiquior horum librorum interpres, in epistola libro octavo ad Accursium praemissa, iam querebatur, hunc librum plurimarum rerum obscuritate et vitio librariorum esse difficilem.

Variae quidem causae lectionis corruptae adferri possunt, et, praeter archaismos, quos Coelius amat, etiam haec fuit praecipua, quod Coelii literae ad Ciceronem datae non eodem modo ab omnibus librariis colligebantur, ut statim videbimus, neque omnes librarii illas cum Ciceronis epistolis simul describendas censebant. Quare scriba Dresdensis I, qui omnibus Ciceronis libris Indicem epistolarum Ciceronis praemiserat, sub initium huius libri octavi talem omisit indicem, quamvis ipsas huius libri epistolas descripserit. In Dresdensi IV autem, sicut in Lipsiensi et Guelferbitano II et haud dubie etiam in aliis nonnullis plane omissae sunt epistolae libri octavi.

Ceterum illi Codicum vitiositati in libro octavo obviae prava quoque in ordine epistolarum constituendo adhaeret confusio, cuius quidem nullus Codicum, quos contuli, plane expers fuit. In secunda enim libri VIII epistola post verba: *Vide modo, inquis* — Codex Torgaviensis et quatuor Dresdenses scribunt: *mihi literis ostenderis, me isto missurum.* (1) Haec autem sunt verba Epist. IX, libri VIII, §. 10, et cum in eadem nona tum in reliquis epistolis, quae eam excipiunt, describendis pergunt illi Codices, donec ad Epist. XV, libri IX pervenerint, ubi sub finem Cod. Torgav. post verba: *si enim*

---

(1) De ea confusione meminit etiam Ascensius in annotatione ad h. l. vide modo inquis. *Haec est vera lectio, quam non intelligentes, credebant deesse verba, quae alii supposuerunt sic:* Vide modo inquis mihi literis ostendens me isto missurum alios. *Alii sic:* Vide modo iniquis mihi cet. *habentque ante hanc epistolas octo, quas aliis postponunt.*

nihil est in parietibus — et Dr. I, II, V, post verba ultima: *cetera mihi probabuntur* — tandem redeunt ad omissa epistolae II verba: *Non, mehercules, nihil unquam praeter opinionem* — et ita reliquas deinceps epistolas libri VIII in superioribus omissas, hoc demum loco adiiciunt.

Dresdensis III tamen post epist. XV libri IX non addidit epistolas libri VIII omissas, licet in antecedentibus verba epistolae II etiam cum verbis ep. IX libri VIII, sicut reliqui Codices, perverse coniunxerit.

In Dresdensi IV autem, qui cum nonnullis plane omiserat librum octavum, post epistolam XV libri IX tamen inserit epist. III. IV. V. libri VIII, sed post ep. V libri VIII statim in viam redit et adiungit epist. XVI libri IX, omissis epistolis VI, VII, VIII, IX libri VIII atque etiam illa parte epistolae II libri VIII neglecta, quae incipit a verbis: *non mehercules, nihil unquam* — et quam reliqui libri epistolae XV libri IX adnectebant.

Quatruplicem igitur confusionem in libris a me collatis animadverti.

1) Primo plurimi cum prima periodo libri VIII epistolae II, male coniungunt mediam epistolam IX libri VIII et ita ordine haud interrupto pergunt usque ad finem epistolae XV libri IX.

2) Porro in fine huius epistolae XV — alius inde a verbis: *si enim nihil est in parietibus* — alii inde a verbis: *cetera mihi probabuntur,* — addunt reliquam epistolae II libri VIII partem cum septem sequentibus usque ad verba epist. IX libri VIII: *Puto, etiamsi ullam spem,* unde in antecedentibus confusio illa inceperat. Sed, quod bene notandum est, Dr. I, II, V, ibi quoque verba ultima epistolae XV libri IX denuo repetunt atque coniungunt, legentes: *Puto, etiamsi nullam* (vitiose pro *ullam*) *spem aut in tecto vitii cetera mihi probabuntur.*

3) Tum alius, qui quidem in antecedentibus epistolis libri VIII laudatas iam octo epistolas omiserat, tamen post epistolam XV libri IX illas non addit.

4) Alius denique, qui totum librum VIII omiserat, tamen epistolam III, IV, V, post epistolam XV libri IX adiunxit.

Iam demonstrandum est, in reliquis fere omnibus, etiam in antiquis et bonae notae Codicibus eandem aut simillimam saltem ordinis confusionem deprehendi. Unus Mediceus liber, quantum nunc quidem certe scimus, excipiendus est, quem vel hoc uno reliquis praestantiorem esse intelligimus, quod *naturalem et verum harum epistolarum ordinem non perturbavit.* Eo autem libro primum Petrarcha, deinde Angelus Politianus, denique Victorius usus erat. Petrarcha eundem Codicem, ut plurimi putabant et partim ex Politiani Miscellaneis cap. XXV, partim ex nota Victorii ad lib. VII, ep. 1 verba: *homini esse polito* — cognoscitur, manu sua descripserat. Quare etiam uterque Codex, quem Politianus affert, unius tantum, sed optimi illius auctoritatem prae se fert. Nam ipse Politianus in fine adiecit: *codex uterque vel ille antiquus vel hic ex eo statim natus* — quibus verbis illum Mediceum et alterum Petrarchae manu descriptum indicabat. Ex ipsis autem Victorii verbis ad lib. VII. epist. XVI. apparet, Politiani libros ab illis, quos Victorius sequeretur, non diversos fuisse. Ibi diserte affirmat de Politiano: *eadem exemplaria sequimur, quibus ille adiutus commodiorem hunc locum fecit.*

Nunc laudanda sunt ipsa Angeli Politiani verba, in eius Miscellaneis cap. XXV prolata, quae quidem Graevius aliique interpretes magis respicere neque omittere debuissent, quia ex iis patet, iam Politiani aetate praeter Mediceum Codicem omnes reliquos Codices ista epistolarum varie transpositarum confusione laborasse. Dixit enim: *In libro octavo Coelii epistola ad Ciceronem ---- tollatur.* (1)

Hac igitur animadversione Politianus aperte respicit ordinem epistolarum ita mutatum, ut Codices quam plurimi post Ep. XV libri IX adnectant epistolam II libri VIII cum sequentibus.

Sicut autem, quae monuit Politianus, mire respondent mutatae illorum librorum lectioni, quos equidem contuli, ita alii quoque Critici in hoc libro VIII Codicum multorum turbas animadverterunt. Gebhardus enim post verba controversa Epist. IX, libri VIII: *spem mihi literis ostenderis, me*

(1) Politiani verba supra memoravimus p. 134 sqq.

isto missurum alios — brevem notulam adspersit: *iam hic redire meliores a turbis suis*, sed nimiae brevitatis studiosus non docuit, in quo positae essent illae Codicum turbae, nisi quod ante in Epist. II. lib. VIII ad verba: *postridie eius absolutionem* — adnotaverat: *tres Palatini hic mihi turbas ac tricas inconciliant, transpositae foedum in modum.* Quales quidem fuerint hae turbae, ex iis iam facile intelligitur, quae antea a me tradita sunt.

Accuratius adnotatam reperi similem Codicum confusionem in Nic. Scaelsii animadversionibus, quibus antiquum suum Codicem locupletavit. Is enim ad Epist. II libri VIII docuit: *hanc in antiquiore suo non octavi esse libri, sed XV noni.* Ita ad Epist. XVI libri IX adnotavit: *In manu scripto Codice nostro, et antiquiori, et fide digno, post eam [quae incipit:* Duabus tuis epistolis (IX. 15.)] *subsequuntur complures aliae, quae VIII in libro leguntur, ut sunt:* Estne? vici (*Ep. III.*): Invideo tibi, quid multa quotidie (*Ep. IV.*): Qua tu cura sis (*Ep. V.*): Non dubito quid perlatum ad te sit (*Ep. VI.*): Quam cito tu isthinc (*Ep. VII.*): Et si de Repub. quae tibi scribam (*Ep. VIII.*): Quod M. Marcellus Cos. filius [*Haec sunt ex media epistola VIII depromta, ubi ipsius senatus consulti initium profertur.*]: Sic tu, inquis, Hirrum tractasti? (*Ep. IX.*) *Et has quidem omnes post:* [IX. 16.] Delectaverunt me tuae literae — accedit. *Sed de ordine neque tantopere insudandum, cum praesertim non adeo continuae sint, ut ordine quodam certo legi debeant. Sunt enim, ut casus puto obtulerat, eo in corpus congestae.*

Haec de Codice suo docuit Nic. Scaelsius; et Graevius [ad L. IX. ep. 16.] adiecit: *eundem ordinem quoque Codicem Amstelodamensem servare*, quem ille etiam antiquioribus adnumerat.

Denique Ernesti haud dubie similem quoque confusionem indicare voluit, cum adnotaret ad lib. VIII. in Guelferb. I et Gorlic. lacunam esse ab ep. II. ad ep. IX (1).

(1) Ernestii verba sunt ad initium Libri VIII. Ep. ad Div. »*Totus hic liber epistolarum Coelii abest a MS. nostro et Gu. 2. In Gu. 1. lacuna est ab ep. 2. ad 9. item Gorlic. In edd. pr. plures epp. absunt, quaedam non integrae ac totae, et ordo etiam est diversus.*"

Quid igitur statuendum erit de mutato harum epistolarum ordine, si illum cum vulgatis edd. conferas? Num statim de emendando ordine vulgari cogitare licet, quia Codices antiqui magno numero epistolas nonnullas aliter collocaverunt? — Praeter illam Medicei auctoritatem non solum naturalis et apta coniunctio verborum: *Non, mehercules* etc. cum antecedentibus verbis Epist. II libri VIII nos cogit, receptum hunc ordinem, sicut iam Politianus monuit, longe praeferre, sed ipsa quoque illarum octo epistolarum libri VIII cum epistola I et X libri VIII copulatio est longe aptior, quia omnes illae uno fere anno et ante bellum civile sunt scriptae; cum contra epistola XV et XVI libri IX, inter quas illae ponuntur, de temporibus Caesaris victoris agant.

Nihilominus tamen inquiri debet, quomodo fieri potuerit, ut epistolae libri VIII ad medium librum nonum reiicerentur? — Haud dubie *diversa epistolarum Ciceronis collectio, vario tempore facta*, huic perturbati ordinis confusioni originem dedit. Prius quidem promiscuo nec certo quodam consilio collectae et in vulgus editae esse videntur. Deinde in priori collectione aliquid consulto et certo consilio est permutatum. Cum enim, ut hoc utar, viderent, inter aliorum literas ad Ciceronem missas numero longe superare M. Coelii epistolas, illae coniunctim et uno volumine sunt congestae, quae antea dispersae cum aliis legebantur epistolis. Cum porro plurimae epistolae Ciceronis commendatitiae circumferrentur, mox e reliquis selectae et uno volumine comprehensae sunt; nec dissimilis ratio postea in aliis literis quoque ordinandis obtinuit. Quo factum est, ut in omnibus fere libris variae literarum iam descriptarum repetitiones occurrant, quarum quasdam nunc quidem exempli loco laudabo, quae partim M. Coelium, partim Cornificium spectant. Ita epistolam IX libri II post epistol. V libri VIII in Torgav. Dr. I, II, V, — epist. XI libri II post ep. VIII libri VIII in Torgav. et Dr. II, — epist. XII libri II post epist. IX libri VIII in Torgav. Dr. II et III relegere licet. Sed omnes illae literae a Cicerone ad M. Coelium missae prius coniunctim cum Coelii epistolis forte legebantur, quam unum volumen solas Coelii epistolas contineret. Quare illi Codices cum no-

steriorem eumque omnium consensu receptum literarum ordinem prae se ferunt, tum prioris quoque ordinis eiusque promiscui vestigia monstrant. Porro ep. XIV libri II, qua quidam M. Fabius Coelio commendatur, inter literas commendatitias libri XIII ab omnibus octo libris, quos contuli atque etiam ab Indice Dr. I. repetitur. Hubertinus Clericus autem tam supinae negligentiae fuit, ut in illam epist. XIV libri II repetitam denuo notas conscriberet, repetitione eius nec animadversa nec notata. — Etiam epistola XXI et XXIX libri XII post epist. LXXVII libri XIII denuo est descripta in Dr. III, Indice Dr. I et Torgav. nec alia de causa, quam quod eiusdem argumenti erant et literarum commendatitiarum numerus uno volumine seligendarum nondum satis certus esse videbatur, ut in hoc Codice quaedam omissae, in illo quaedam additae legerentur. Ita quoque Victorius ad L. XI epist. XIII affirmat, post illam epist. XIII aut vetustate aut negligentia librariorum aliam eiusdem D. Bruti epistolam periisse, quia eius initium: *Parmenses miserrimos* — in Indice libri Medicei adhuc supersit, quod etiam, ut alio loco indicavi, in Indice Dr. I adhuc legitur. Gebhardus autem ad L. XII epist. XVIII, quae inter plures Ciceronis epistolas ad eundem Cornificium scriptas legitur, indicat, hanc epistolam in Palatino I desiderari, sicut etiam in Dr. II, in plurimis simillimo illi Palatino I, omissa est. Denique Lipsiensis epistolam XXV et XXVI libri XII etiam Cornificio inscriptas omisit, quae duae epistolae tanquam una in multis aliis Codicibus arcte cohaerent. Plura exempla ex aliis epistolarum libris adferre non opus est, quia haec iam ad probandam sententiam sufficiunt, non satis certum epistolarum collocandarum ordinem antiquitus locum habuisse.

Neque tamen ille ordo epistolarum interdum varie mutatus quidquam detrahit illarum fidei, ut suppositae ab aliis videantur, quia plerumque ipsum eiusmodi epistolarum argumentum ita est comparatum, ut illas non facile alio tempore, quam illa Ciceronis aetate conscribi potuisse appareat. Quae quidem si a vero proxime abesse videntur, facile intelligitur, unde illa ordinis permutatio, in libro VIII inprimis,

quae Codicum plurimorum auctoritate stabilitur, originem traxerit. Multae enim illius libri VIII epistolae antea promiscuo inter epistolas, quae nunc libri noni sunt, legebantur et a Codicibus quibusdam eodem loco retentae sunt, quamvis alio deinde consilio et novo ordine essent digestae. In Indice Dr. I quidem, qui praemittitur libro IX, illarum octo epistolarum libri VIII nulla mentio est iniecta, quia ille Index olim haud dubie confectus erat, cum novus isque certior epistolarum ordo iam constitutus esset. In ipso autem epistolarum textu illius duplicis ordinis atque collectionis vestigia inprimis eo deprehenduntur, quod verba ultima epist. XV libri IX: *aut in tecto vitii, cetera mihi probabuntur* — etiam in epistola IX libri VIII, ubi desinit illa confusio, repetita sunt, cum antea ab his verbis inciperet pars altera epistolae II libri VIII cum sequentibus; et quod et iam in libris quibusdam, qui illas octo epistolas non suo loco posuerant, tamen eaedem quoque post epist. XV libri IX omissae sunt..

Una autem obscuritas mihi adhuc reliqua est, qua quaestio illa non facile dissolvitur, quomodo fieri potuerit, ut haec ordinis confusio in media epist. II et in media epist. IX libri VIII inciperet, neque statim sub initium aut finem illarum epistolarum conspicua esset? Primum quidem verisimile mihi videtur, a verbis epist. IX libri VIII. §. 11: *M. Feridium, equitem Romanum, amici mei filium* etc. novam inchoari epistolam, quae plane diversa sit ab illa, quae nunc epist. IX libri VIII habetur.(1) Sicut autem, quod modo vidimus,

(1) Argumenta paucis colligam, quibus haec sententia stabiliri videtur (ita scribit Benedict. ad L. VIII. Ep. 9. §. 11.): Primum idque gravissimum esse puto, *quod illa ordinis literarum confusio*, quae in hoc libro regnat, *et incipit et desinit in his verbis.* Nam verba prima epistolae II et illa ex media, quae antecedit, periodo epistolae IX desumta ab librariis tantum praemissa sunt, ut mihi quidem videtur, ut ita haec ordinis varietas et duplex locus, quo legi solet haec epistola, indicaretur, quia alii post primam libri VIII, alii post nonam eiusdem libri hanc collocarunt epistolam. Huc accedunt alia duo argumenta non minoris ad probandam hanc sententiam momenti. *Verba nimirum, quae antecedunt, de pantheris e Cilicia Romam mittendis*, in aliis non solum Coelii epistolis iterum iterumque repetita occurrunt, sed *in fine epistolarum fere semper sunt posita.* Ut: epistola II. IV. V.

verba repetita ex epist. XV libri IX: *aut in tecto vitii, cetera mihi probabuntur* — et post verba epistolae IX libri VIII: *si ullam spem* — denuo collocata indicabant, locum his octo epistolis olim interiectis post epist. XV libri IX constitutum fuisse: ita quoque verba ep. IX libri VIII: *mihi literis ostenderis, me isto missurum alios. M. Feridium* etc. quae ad initium epist. II libri VIII male tracta videntur, librariorum sententia forte indicare debuerunt, in aliis libris statim post epist. I libri VIII sequi illam, quae incipit: *M. Feridium* etc. et quae ab aliis post epist. IX libri VIII vulgo collocari soleat. Ut autem alterum simul epistolarum ordinem indicarent, quo illa, quae nunc est ep. II, statim excipit epistolam I libri VIII, saltem initium illius epistolae simul adiecerunt. Debuissent tamen eadem verba prima epist. II etiam post epist. XV libri IX repeti, ut ibi quoque indicaretur varius epistolarum ordo, sicut indicatus erat verbis repetitis: *aut in tecto vitii, cetera mihi probabuntur* — sed ibi videntur negligentia librariorum omissa fuisse; sicut etiam repetitionem plane

---

(VI.) VIII. [h. Ed. *Ep.* II. 3. V. 5. XIII. 6. VIII. 10.] Quare verisimile est, Coelium etiam h. l. epistolam nonam iisdem verbis clausisse, cum inprimis in sequentibus nulla amplius mentio eiusdem rogationis iniicitur. Porro, sicut verba: *M. Feridium, equitem Romanum, amici mei filium* — novam sententiam h. l. incipiunt, *ita initium epistolarum Ciceronis commendatitiarum saepissime est comparatum;* ut adeo propter illa, quae iam attuli, a vero proxime absit, Coelium quoque ab his verbis novam ordiri epistolam, quia naturalis illa epistolas conscribendi ratio, quae ab ipsis, quorum commendandorum causa sunt datae, initium scribendi facit, fere solemnis erat inter Romanos. — Neque hoc repugnat ei, quam defendo, sententiae, quod Coelius statim addit: *qui ad suum negotium istuc venit* — atque locum non indicat, ubi tunc Cicero versabatur. Aliae etiam Coelii epistolae eodem modo inchoantur. Ut: Epist. IV. [h. Ed. V.] *Invideo tibi, quod multa quotidie, quae mirer, istoc perferuntur* et Epist. VII. [h. Ed. XIV.] *Quam cito tu istinc decedere cupias, nescio.* — Denique in sequentibus verbis Coelius denuo enarrare incipit, quae de provinciis Galliis acta essent, cum tamen eiusdem causae iam §. 6. [§. 2.] mentionem iniecisset. Itaque saltem verba illa §. 13 et 14 [§. 6.] si ad epistolam unam pertinerent, verbis §. 6. [§. 2.] adiungi debuissent, ne rem eandem duobus iisque diversis locis tractaret.

necessariam verborum: *mihi literis ostenderis, me isto missurum alios* — quae secundum vulgatas in media epist. IX libri VIII, sed, ut equidem puto, in fine epist. IX collocata sunt, negligenter omiserunt, ubi ad ea verba denuo venirent, quia iam scripta erant sub initium epist. II libri VIII ab iisque verbis librarii omnem illius ordinis confusionem inchoaverant. — Ceterum negari non potest, librarios interdum etiam in aliis locis verba epistolarum tam mire permutasse atque confudisse, ut non facile coniici possit, quid potissimum tali ordinis confusioni in illis locis occasionem praebuerit. cet.

Beniamin Weiske, *Clarorum virorum Epistolae quae inter Ciceronis Epistolas servatae exstant.* (Lipsiae 1792.) p. 161. seq.

M. Coelium Rufum inter optimos aetatis suae oratores locum obtinuisse, consentiens antiquitas docet, ut ea de re dubitatio nulla esse possit. Quicunque de prava eius mente, et vitiis, in quae multa dissolutus fuit, loquuntur, in hanc tamen partem de illa laude nihil detrahunt. Gravissimum quidem illud obiici potest, quod auctor dial. de or. c. 21. dicit: »*Ex Coelii orationibus haec placent — in quibus nitorem et altitudinem horum temporum agnoscimus. sordes autem verborum, et hians compositio, et inconditi sensus redolent antiquitatem: nec quemquam adeo antiquarium puto, ut Coelium ex ea parte laudet, qua antiquus est.*" Sed auctor aetati suae cupidius favebat: et, quia tum quaedam verba, numeri, sententiae, et harum *formae et modi* (*tours, Wendungen,*) placere desierant, iam optimi oratores fastidiebantur. Ser. Galbam et C. Carbonem aliosque antiquiores c. 18. dicit esse horridos, et impolitos, et rudes, et informes: additque: *quos utinam imitatus non esset Calvus vester, aut Coelius, aut ipse Cicero.* Videmus ergo, nihil istic obiici Coelio, quod non item in Cicerone (non apparet, quam valde,) vituperetur. Quam ei Quintilianus L. X. c. 2. tribuit *asperitatem*, ea non ad vituperationem sed ad laudem valet, quippe quae non ad verba, eorumque structuram, pertineat, sed ad vehementiam et vim singularem accusationis, in qua Coelius plus, quam in defensione, valuit.

Sed proh dolor! hiccine est ille Coelius, cuius nobis relictae sunt epistolae? an huius esse in foro potuit, quod Cicero Brut. c. 79. testatur, *splendida et grandis, et eadem in primis faceta et perurbana oratio;* cuius in epistolis reperiatur passim tam parum Latina, tam obscura, exsanguis, pueriliter concisa, nec raro infaceta? Is ipse est Coelius; sed librariorum antiquissimorum perfida incuria foede tractatus, et misere dilaceratus, ut harum epistolarum nulla, praeter XVImam, quae inter epistolas ad Atticum et alterum tutiorem locum nacta est, ita integra videatur, ut iustum iis pretium commode statui possit. Quamobrem Vossius non videtur suum ex his epp. iudicium proferre, sed antiquorum scriptorum fide statuere, cum in praef. ad libros *de vitiis sermonis* Coelium adiungere non dubitat Ciceroni, Caesari aliisque scriptoribus primae caveae, qui vigorem ac maturitatem in Latina dictione sint consecuti.

Dixi equidem, quid mihi de his reliquiis, quales habemus, videretur. Quodsi, detracta illa falsa vituperatione, de vera eius laude in epistolis scribendis coniiciendum est, putamus eum in reliquis Ciceroni fuisse fere parem, sed in verbis, non inscitia, verum studio, minus proprium et simplicem, adstrictiorem porro cum aliqua obscuritatis specie, in facetiis denique consectandis nimium, ideoque non semper felicem. Sed in analysi id negotii nobis datum putavimus, ut, quomodo in reliquis, severius ageremus, et graviora saltem vitia notaremus, nihil considerantes, utrum illa ab auctore profecta, an e librariorum negligentia nata essent.

Idem, Praef. ad *Clarorum virorum Epist.* cet. p. XIII. seq.

In quibusdam locis incertus haerebam, reponeremne veterem lectionem, quae mihi verior videretur, an in animadversionibus tantum sententiam meam dicerem. Dubitantem confirmavit passim vir doctus Cl. Benedict, scholae Torgaviensis Rector; qui, quo labore et studio priores octo libros epp. Ciceronis tractatos edidit, vellem iam reliquos, antequam haec nostra ederentur, nobis adornasset. In Coelii quidem epistolis magnum momentum accessit eorum codicum, quos ille contulit, ut pluribus locis veterem lectionem revocarem. Atque

utinam Coelium nobis totum restituere potuisset! Nullius epistolae nobis, si illas integras haberemus, utiliores forent atque iucundiores. Certe ad cognoscendam historiam illorum temporum, ad rationem iudiciorum, et comitiorum aliarumque rerum penitius perspiciendam hunc haberemus egregium fontem. Ac nescio, an haec ipsa utilitas et praestantia illis epistolis fraudi fuerit. Cum enim pars earum utilis esset pueris, pars aliis quam plurimis iucunda; factum esse suspicamur, ut primo iam seculo a pueris exercitationis causa describerentur, aut in horum aliorumque usus excerptae varieque dispositae et ordinatae perturbarentur. (cf. quae Cl. Benedict. praef. ad L. VIII. disputat.) Insequenti seculo, cum propter causas, quas facilius est cogitatione consequi, quam paucis edisserere, minus iucundae et utiles videri coepissent, coeperunt eo magis negligi et contemni, quo magis iam ante optimo consilio perturbatae varieque contaminatae fuerant. Haec si vera sunt, ut infiniti numero conferantur codices, vereor, ut unquam, vel pertinacissimo studio et labore, ad integritatem suam revocentur. Nos quidem quantum in earum tractatione laboris exhauserimus, prope pudet fateri. Profecto nisi spes fuisset, nos in regiones amoeniores aliquando delatum iri, animum nostrum in his tantis tenebris locisque salebrarum tam plenis despondissemus, et una cum Coelio consilium edendi huius operis in medio labore abiecissemus. Quo aequiores habebimus iudices: quibus si minus satisfecerimus, illud nos consolabitur, quod nobismet ipsi paucissimis in locis satisfacere potuimus.

Io. Chr. Fr. Wetzel, *M. Tullii Ciceronis Epistolae ad Diversos. Recensuit, vita Ciceronis praemissa, praefatione singulis libris praeposita -- illustravit.* (Lignitii 1794.) Praefat. ad L. II. p. 92.

Quali omnino scribendi genere sit usus, satis ostendunt libri VIII epistolae omnes, et confirmant Taciti et Quintiliani testimonia, qui sordes verborum, hiantem compositionem, inconditos sensus antiquitatem redolentes, horridum et impolitum, rude et informe, amaritudinem et asperitatem in eo reprehendunt. Hinc et ab Hadriano Imperatore iudicii de

litteris virisque doctis plane perversi praelatus fuit Sallustio, non minore iure, quam Antimachus Homero, Ennius Virgilio, Cato Ciceroni (1).

Beniamin Weiske, *Auswahl der besten Briefe Cicero's* (Braunsweig 1796.) Vorbericht p. X.

Aus dem ersten und achten Buche der *Epp. ad Diversos* findet sich hier kein Brief. Das erste Buch handelt u. s. w. Das achte Buch ist äusserst verderbt auf uns gekommen, und macht daher weit grössere, und häufig unüberwindliche Schwierigkeiten. Was ich zur Verbesserung derselben in den *Epp. Clar. Viror.* habe beitragen können, ist in den öffentlichen Blättern mit vielem Beifall beehrt worden. Aber es reicht zo weit nicht, dass einer oder der andere seinen Platz in dieser Sammlung verdient hätte. Wegen dieser Schwierigkeiten verordnen die Getsetze der Sächsischen Fürsten- und Land-schulen ausdrücklich, dass man diese 2 Bücher, so wie einzelne schwere Briefe der übrigen Bücher, in den öffentlichen Lehrstunden gänzlich übergehe. Destomehr glaubte ich Ursache zu haben, diese ganz von der Wahl auszuschliessen.

I. C. F. Baehr, *Geschichte der Römischen Literatur* (3e Ausg.) §. 315.

Wir finden in dieser Sammlung [Epistolarum ad Diversos] eine Menge Briefe an die ausgezeichnetsten und einflussreichsten Männer jener Periode; z. B. an Cornelius Lentulus Spinther im ersten Buch, an Appius Claudius Pulcher, Q. Metellus Celer u. A. Eben so finden wir darin zahlreiche Briefe von Freunden oder Bekannten des Cicero an densel-

(1) Quae Wetzelius de Hadriano narrat, sine dubio hausit e Spartiano, qui in vita Hadriani c. 16. scribit: *Amavit praeterea genus dicendi vetustum, controversias declamavit. Ciceroni Catonen, Virgilio Ennium, Sallustio Caelium praetulit; eademque iactatione de Homero ac Platone iudicavit.* Sed eo loco *Caelium Antipatrum*, historiarum scriptorem, intelligendum esse recte vidit Is. Casaubonus. Nec aliter intellexerunt Vossius de Histor. Lat. L. 1. c. 8. et Funccius de Adolesc. Lat. Ling. c. VI. §. XI.

ben; wie z. B. im achten Buch die in manchen Beziehungen wichtige und interessante Correspondenz des M. Coelius Rufus.

B. R. Abeken, *Cicero in seinen Briefen* (Hannover 1835.) p. 223.

Ausser diesen ciceronischen haben wir Briefe von Cölius an Cicero, nicht so schön geschrieben wie jene (sie zeigen uns vielmehr durch die Folie, welch ein Meister des Stils jener war), aber sehr wichtig wegen ihres Inhalts.

Karl Fr. Süpfle, *M. Tullii Ciceronis Epistolae Selectae CXC, mit historischen Einleitungen u. erkl. Anm. versehen* (Karlsruhe 1836.) p. 153.

Die Briefe, welche Cölius an Cicero nach Cilicien schrieb, waren für diesen von groszer Wichtigkeit und sind überhaupt für die Geschichte jener Periode von Bedeutung. (In Cicero's Antworten werden wir die Hauptpunkte derselben wieder finden.) Zugleich zeugen sie von dem Geiste und politischen Scharfblicke des Mannes. In Rücksicht auf stilistiche Form und Darstellung jedoch stehen sie nicht nur den ciceronischen, sondern auch einigen anderen Fremdenbriefen nach, wie sich denn gerade in dem vorliegenden Briefe mehrere auffallende Ausdrücke finden.

Ioh. Bakius, Disputat. *de temperanda admiratione eloquentiae Tullianae* (in: Scholica Hypomnemata Vol. I. Lugd. Bat. 1837.) p. 14. seq.

Coelii, cuius diu perierunt orationes, quam accurata, apta, et in primis elegans et urbana, plena ingenii et facetiarum sit oratio Latina, satis nobis declarant eius Epistolae, quae octavum librum Epp. ad Famil. explent, suumque in illo Tulliano volumine locum mirifice tuentur. Huius igitur clarum fuit nomen illo tempore, ut oratoris: igitur prudentissimus ille scriptor Dialogi de Oratoribus cum Tacito edi soliti (cap. 21 et 18.) »si non universae" inquit »eius placent orationes, at partes earum, in quibus nitorem et altitudinem horum temporum agnoscimus." Nam quod addit de sordibus verborum, et hiantem compositionem memorat et inconditos sensus, qui redoleant antiquitatem; idem genus antiquitatis

in Cicerone reprehendit. Non sane, quantum oportebat, huius praedicavit in dicendo laudes Cicero in Bruto (cap. 79.); fortasse odio earum in re publica partium ad quas Coelius se inconsiderato impetu, relictis veteribus amicis, contulerat. Et invidiam inter hos viros viguisse, recte observatur in eodem Dialogo Corneliano (cap. 25.).

Henr. Meyerus, *ad Ciceron. Brut.* (Halis 1838.) c. 79. §. 273.

M. Caelius Rufus natus a. 672. M. Crassum et Ciceronem, ad quos a patre deductus erat, in arte dicendi magistros habuit. -- Homo fuit moribus lascivus et inconstans, cuius acerbitatem et fervorem eloquentia confirmabat a Quintiliano non sine laude memorata. Reliquit orationes nonnullas, ab Westerm. p. 209. breviter significatas, quarum fragmenta posuimus in Oratt. Fragm. p. 194. sqq. [p. 458—470 Ed. Sec.] Litteris eruditum fuisse non solum id declarat, quod de Geometria librum ei Varro inscripsit, (1) sed certius etiam commercium epistolarum ad Ciceronem missarum, quae supersunt in huius Epp. libro VIII. ubi Manutius praefationem dedit aptam ad Caelii res cognoscendas.

God. Bernhardy, Meyeri *annotationem ita continuans:*

Praeterea tangenda videtur eorum sententia, qui Caelium in orationibus antiquo vel obsoleto sermone usum esse contendant. Scilicet Dial. de Oratt. 21. postquam illi laudem tribuit ambiguam, sic pergit: *Sordes autem illae verborum et hians compositio et inconditi sensus redolent antiquitatem, nec quemquam adeo antiquarium puto, ut Caelium ex ea parte laudet, qua antiquus est.* Sane duo vel tria frustula magistri protulerunt a communi more diversa; sed hanc argumentandi viam si persequi libet, ipsum Tullium facile

(1) De Varroniano libro, qui Caelio fuerit inscriptus, res magis videtur dubia quam statuit Meyerus et Ellendtius, quem vide supra p. 131. Quod superest, vix unum alterumve fragmentum, apud Iulium Frontinum *de agrorum qualitate* p. 45. nihil omnino docet de προςφωνήσει. Et qui Varronis librorum deperditorum fragmenta collegit, in edit. Henr. Stephani a. 1591. p. 20. pro *ad M. Caelium Rufum*, in margine scripsit *ad Rufum Silvium.*

Catonibus et Sisennis annumerabimus. Verum Caelius, ut fuit homo versatilis et ingeniosus, ita sermonem, quocunque raperet accusatorius impetus et effrena libido, nulla ratione sinebat exultare et notationibus morum illustribus exasperabat. Orationem igitur hiulcam et confragosam dictis venustis, in quibus multam urbanitatem agnoscit Quintilianus, plerumque distinxerat, quae cum sordes convicii vulgaris et formulas inusitatas minime repudiarent, profecto fieri debuit ut plurimis in partibus Caelianae dictionis color plebeius et antiquitate plenus haberetur. Id colligi licet ex illius inventis quibusdam sane praeclaris: ut cum Plotium (Sueton. de clar. rhett. 2.) descripsit *hordearium rhetorem*, impudicam mulierem (Quintil. VIII. 6. 53.) *quadrantariam Clytaemnestram*, item (ib. I. 5. 61.) *Pelia cincinnatus*, vel, quod Diomedes servavit, *oscitans hietansque astas.*

Io. Casp. Orellius, *Onomasticon Tullianum* P. II. p. 113. col. 2.

Caelii Epistolae superstites XVII. constituunt Librum VIII. Epp. ad Famil. ac propter facetum et perurbanum sermonem post Tullianas inter Latinas nunc extantes excellunt, Plinianis certe omnibus partibus praeferendae. Iniquius de iis iudicavit Weiske in Clar. Vir. Epp. p. 162.

Car. Fridr. Heinrichius, *Annot. ad Frontin. de Aquaeduct.* (quas suae editioni inseruit A. Dederichius, Vesaliae 1841.) c. 76.

M. Caelius Rufus, is cuius extant scriptae ad Ciceronem epistolae XVII, liber 8vus inter Epp. ad Div., incomparabile illud persingularis ingenii monumentum, sed quod criticum quoque et interpretem haud vulgarem etiamnum sibi postulat. Ingenium plus uno nomine Iuvenali persimile.



VARIORUM INTERPRETUM
NOTAE
AD
M. CAELII RUFI
EPISTOLAS,

MAXIMAM PARTEM SPECTANTES

AD

AMBIGUAM HUIUS SCRIPTORIS

LATINITATEM.

EPIST. I.

Epistola Ciceroni certe perspicua, omninoque, ut ad familiarem, eleganter scripta. WEISKE.

§. 1. *decedens.* Unde? Ab ipso Cicerone: quem in provinciam euntem prosecutus erat. Sic proficiscentem Appium in Ciliciam, sic Valerium Cicero prosecutus est: ut L. III. ep. 10. §. 8. et L. XIII. ep. 6. §. 1. Ipse Coelius hoc iter significat, subiungens §. 2. *Romam cum venissem. Decedere* autem simpliciter accipit Coelius pro *discedere*, ut Epist. 10. [h. Ed. XI. 7.] *Mei officii est meminisse, qua obtestatione decedens mihi, ne paterer fieri, mandaris.* Usitatius tamen est de magistratibus e provincia decedentibus: licet privatis quoque accommodetur, ut in orat. pro Quintio c. 4. *Decedit ex Gallia Romam simul Naevius.* MANUTIUS.

cuius otii. Editur e Mss. *quoius*, ut infra Ep. 17. [h. Ed. XXVI. 1.] et Ep. 2. [h. Ed. II. 1.] *quoivis* pro *cuivis*, a nonnullis. Sed sordes istas antiquarias emovi. ERNESTI.

—— —— Ernesti quidem hanc lectionem *quoius* sordibus librariorum adnumeravit ideoque eiecit, sed quia Plautus simili ratione locutus est atque Coelius etiam in aliis antiquae latinitatis est studiosus, ab illa librorum antiquiorum lectione recedendum non puto. BENEDICT.

quaeque de eo spes sit. Vulgo *est*, plane vitiose: nam praecedit, *quemadmodum actum sit.* Peccatum est librarii tironis, quod nemo animadvertit, quod sciam. ERN.

—— —— Ernesti corrigebat *sit*, quamvis libri a recepta lectione non recedant. Etiam aliis locis iam exempla adfuerunt commutatae lectionis *sit* et *est.* Nondum tamen ausim admittere hanc emendationem in ipso textu, quia me adhuc retinet iudicium de Coelio latum in illo Dialogo de causis corruptae eloquentiae c. XXI. *Sordes autem verborum et hians compositio et inconditi sensus redolent antiquitatem:* quam quidem sententiam in aliis quoque Coelii verbis sedulo respiciendam censeo. BENEDICT.

§ 2. *ne tenuissimam quidem auditionem de ea re accepi.* Durior et horridior interdum Coelius est in explicanda sententia; quis enim sic loquatur, *ne tenuissimam quidem auditionem de ea re accepi*, pro *nihil prorsus audivi?* Fortasse hoc illud est, cur in eo sordes verborum Tacitus appellet, et subiungat *amarior Coelius:* et Quinctilianus *asperitatem* ei tribuat in dicendo. MANUT.

—— —— *Nihil prorsus audivi.* Horridulum Latinis auribus: non autem id mirum in Coelio, cui *asperitatem* Quinctilianus X. 2. et *inconditos* aliquando *sensus* auctor Dialogi de Orator. c. XXI. tribuunt. CELLAR.

—— —— *Accipere* per se est *audire*, apud Plautum, Virgilium, Crispum et multos praeterea, vide Nonium Marcell. c. IV. n. 15. *Auditionem* ita posuit Apuleius Apolog. p. 310. *quoniam ostendis humanissimo vultu*, auditione *te ista non gravari.* Facilius est, quod Sueton. Aug. c. XXI. habet: *Indi etiam ac Scythae* auditu *modo* cogniti. Nam et Coelium credo *auditionem* pro fama, rumore posuisse. Sed audi Quinctilianum X. c. 1. *Haec ut sciamus, nisi multa lectione atque* auditione *assequi non possumus: cum omnem* sermonem *auribus primum* accipiamus. CORTIUS.

—— —— Durum et horridum hoc iudicat Manutius. Sed *auditio* est nuntius, rumor: ut Cic. pro Planco c. 23. unde non debet durum videri. WEISKE.

sanequam eos sermones expressit. Profecto vi quadam expressit. Ea vis particularum *sane quam*, ut diximus ad L. IV. Ep. 5. n. 1. Et sic aliquoties Coelius noster [Ep. V. 2. *sanequam incutit multis magnum metum.* Ep. XI. 1. *sanequam literis C. Cassii et Deiotari sumus commoti.* Ep. XIII. 1. *sanequam non ea, quam existimaveram, invidia.* Ep. XXII. 1. *Cn. Saturninum Cn. Domitius reum fecit, sanequam superiore a vita invidiosum.*] et cum eo A. Gellius, vetustarum elegantiarum sanequam affectator, [L. V. c. 14. *Est enim sanequam in praedicandis doctrinis suis venditator.* Idem L. X. c. 24. *Nam sanequam consuetum iis veteribus fuerat literis his plerumque uti indifferenter.*] CORTIUS.

§. 3. *aliud sentire et loqui.* Usitatius foret *aliud*

sentire, aliud loqui. Sed et huius formae exempla plura sunt apud Ciceronem, ubi in altero est *et* vel alia copula. Ern.

§. 4. *circumsederi.* Vulgo *circumsideri:* illud malui, quia in his Epistolis tales antiquitatis affectationes; deinde quia sic reperi in Pall. primo, quinto, editione primaria et Vaticano. Gruter.

palam secreto. Facetum hoc, per speciem repugnantiae. Ernesti.

at Domitius, quum manus ad os apposuit. Prim. meus: *Addo micius cum ad eos apposuit.* Puto Coelium scripsisse: *At Domitius cum ad os apposuit.* Videtur enim *digitum* aut *manus*, uti concisus est Coelius et brevis, subaudiendum. Graevius.

§. 5. *ita ut-- maximus rumor fuit.* Dubitavi, an non hanc constructionem donari oporteat Coelii cuidam in scribendo negligentiae et celeritati, quam et paulo ante ostendit in hac periodo [§. 1.] *quemadmodum actum* sit, *et quae existimatio secuta, quaeque de eo spes* est, *diligenter tibi perscribemus*, ut quidem in optimis editionibus legi video. Cum tamen in libris scriptis aliqua hic occurrat varietas, in Coelii gratiam opinor fuisse: *ita* et *in urbe ac foro toto maximus rumor* fuit. Iac. Gronov.

misererer eius esuriei. Auctoritate antiquiorum Dresd. I et II, malim legere *eius esurie*, qui genitivus Coelio, antiquitatis studioso, non est indignus. Benedict.

—— —— *Esuries, der Hunger*, kommt selten vor, vielleicht aus der gemeinen Volkssprache entnommen, bei Coelius (Cic. Fam. VIII. 1.) sonst nur Spät-Lateinisch für *fames*, *inedia.* Krebs.

Plancus tuus. Ingenio Coelius fuit ad iocandum proclivi: quod et Quinctilianus animadvertit in eius orationibus, et omnes, quae nunc leguntur, ab eo scriptae ad Ciceronem epistolae demonstrant. *Tuus* hic dixit, cum ironia: quod Plancus Bursa Ciceronis esset inimicissimus, nec iniuria, quod eo accusante, ut Dio tradidit, de vi condemnatus esset. Manut.



EPIST. II.

§. 1. *Certe, inquam, absolutus est.* Familiariter, et amice, cum specie indignationis, quae verbo *inquam* exprimitur; quod Cicero negarat, hominem absolvi posse. Quae altercationis imitatio ab alacri ingenio profecta non displicet. Weiske.

me repraesentante. Mira licentia Coelius *repraesentante* pro *praesente* dixit, quod tamen in quibusdam libris visitur. *Repraesentatus est in iudicio*, novator ille Apuleius X. Met. p. 243. dixit; sed id parum iuvat. Cortius.

Vide modo; inquis. Non, mehercules. Dum nimis amat brevitatem Coelius, obscurat saepe sententias: quod in Thucydide vitium Cicero notavit. Videtur tamen fingere dicentem Ciceronem: *Vide modo, Coeli: non de Messala bene homines existimant? non eius patet innocentia?* Respondet Coelius: *Non mehercules* etc. Manut.

—— —— Haec mihi non placent. Non video, quid salis insit in perpetua imitatione colloquii vulgaris. Saltem bene contexta oratio tantumdem salis, et plus urbanitatis suavitatisque habet. Weiske.

validissime. Pro *valdissime*; nam *valde* fit a *valide.* Unicum adhuc invenimus exemplum, quod recitat Charisius [Inst. Gramm. II. p. 197.] ex divi Hadriani orationum XII. *A vobis*, inquit, *P. C. peto et impetraturum validissime cupio, ut proxime imaginem Augusti argenteum potius clypeum, sicut Augusto, ponatis.* Manut.

postridie eius absolutionis. Postridie eius diei dixit Sulpicius L. IV. Ep. 12. et Caesar de B. Gall. I. 23. 48. 51. *Postridie ludos Apollinares* Cicero ad Att. L. XVI. Ep. 4. *Postridie* simpliciter Cicero. Manut.

suum gaudium gauderemus. Sic plane Terentius Andr. V. 5. 8. *Nam hunc scio mea solide solum gavisurum gaudia.* Cortius.

Strepitus, fremitus, clamor tonitruum. Similie fere Plaut. Amphitr. V. 1. 10. *Strepitus, crepitus, sonitus, tonitrus: ut subito, ut propere, ut valide tonuit!* quem citat etiam Nonius Marc. c. III. n. 241. At Varro IV. de Ling. Lat. c. 1. citat Pacuvii *Rudentisibilus*, una voce: ut forte ex Pacuvio totus hic septenarius sit desumtus. Et si hoc est, *tonitruum* est casus Nominandi; qua terminatione apud Isidorum XIII. Orig. toto cap. VIII. apparet. . CORTIUS.

rudentum sibilus. Cum et ruderent simul, et exsibilarent Hortensium. Fortasse autem *rudentum sibilus* ideo coniunxit Coelius, quod illud Pacuvii memoria teneret *Rudentisibilus*, notatum a Varrone Libr. IV. de Ling. Lat. Antiquitatum enim paulo etiam magis, quam decuit, imitari Coelio placuit: quod a Tacito et Quinctiliano reprehensum videmus. MANUT.

cuivis satis esset. Veram lectionem esse puto *quoivis.* BENED.

§. 3. *Tu tamen simul ac.* Id est, eodem tempore quo, aut statim postquam audieris me designatum, scil. *aedilem. Fac* supple: alii habent *rogo;* sed sic diceretur *te:* nisi Graeco more, quem Comici sequuntur, proximo dederit, quod sequentis est; dicunt enim *me scis, quid velim*, pro eo, quod est *scis quid ego velim.* Hoc autem loco, quia Caelius multa subaudire solet, credam verbum omissum. ASCENSIUS.

EPIST. III.

Initium rursus ab amica contentione profectum non satis placet. Non nego aliquid leporis inesse: tamen non amicitiam ista prodere videntur, sed sermonem esse credas, de re prorsus ab amici officio aliena, ut non benevolentia sed pertinacia, qui sic loquitur, obtinuisse se gaudeat. Nec numerose cadunt verba. WEISKE.

§. 1. *Estne? vici?* Quam acuto atque urbano Coelius ingenio fuerit, ex epistolarum principiis intelligitur: salis-

enim aliquid omnia fere habent. *Estne?* inquit: *non id praesto, quod tibi discedenti promiseram, quod tu fore negabas, ut crebro litteras mitterem?* Manut.

tibi saepe-curaturum tibi literas mitto. Alterum *tibi* addunt optimae editiones ex melioribus libris, et partim cum *curaturum* coniungunt, ut sit *pro te*, ut saepe; partim cum *mitto*, ut abundet alterum *tibi*, quomodo *ea* supra L. VII. ep. 26. n. 5. [*Lex sumtuaria, quae videtur λιτότητα attulisse, ea mihi fraudi fuit.*] Cortius.

et qui -- discrucior. Plautina sententia in Capt. I. 2. 39. *Tum denique homines nostra intelligimus bona, Cum, quae in potestate habuimus, ea amisimus.* Manut.

—— —— Haec verba cum non contineant sententiam universalem, ut Plaut. Capt. I. 2. 38 sq. eo magis fidem faciunt, quod a re et persona videntur profecta. Repugnant tamen quodammodo. Quomodo enim *certum* i. e. constitutum, fixum, usitatum, idemque *iucundissimum* esse potest, quod *negligentia* multos dies saepe omittitur? Weiske.

§. 2. *Nam mea, si fio* cet. Concisa et obscura brevitas huius loci multum salebrarum habet, quae saltem ex parte Coelio videtur imputanda. Weiske.

eorum odia, quae Hirrum premunt. Si dixisset *ea odia*, usitate dixisset: cum vero dixerit *eorum*, Latini sermonis ratio *qui* postulat potius quam *quae.* Sed est hoc Coelianum dicendi genus, id est plane durum et asperum, notatum etiam, ut iam ostendimus, a Quinctiliano et Tacito. Eandem soloecismi speciem agnosco in epistola sequenti [h. Ed. V. 2.] cum dixit: *in evitandis his consiliis, qui se intenderant adversarios in eius tribunatum.* Quo in loco postulabat usus Latinae linguae *in evitandis eorum consiliis.* Verum, qui ea legerit, quae de Coelii eloquentia, ante huius libri interpretationem, ex antiquorum testimonio praefati sumus, accuratam a Coelio dictionem valde non exspectabit. Manut.

§. 4. *Cuiusmodi velim, puto, quaeris.* Nur selten wird *puto*, oder *ut puto*, wie unser *glaube ich*, *wie ich glaube*, in den Satz eingeschoben, ohne dass dieser von

puto abhängig gemacht würde. Vgl. jedoch Cic. Att. XII. 49. 1. Coel. Cic. Fam. VIII. 3. 3. Vatin. Cic. Fam. V. 9. 1. Als mehr Nach-Klassisch und Poetisch-Lateinisch werde es vermieden. KREBS.

EPIST. V.

Ipsis argutiis salebrosa epistola: quae cum tam mixti sit argumenti, sat erit singula quaedam verba et sententias diiudicasse. WEISKE.

§. 1. *Hoc tibi non invideo.* Respondet superiori *Invideo tibi*, quod est, felix es, qui ista coram non vidisti: at hoc: nihil perdidisti, cum non vidisti Lentulum petentem sacerdotium et repulsam ferentem. ERNEST.

—— —— Nempe *non habeo quod inviduam.* Nimis arguta litotis. Melius esset proprium: *sed doleo*, aut: *hoc tu mihi invideas licet, quod non carui* cet. Similis litotis est Epist. XIV: §. 1. [h. Ed. XXII. 1. *Nunquam tibi oculi doluissent*, pro: certe iucundum spectaculum habuissent.] WEISKE.

§. 2. *ut se fert ipse.* Forte scribendum, *ut prae se fert ipse*, aut *ut fert ipse.* GRAEV.

—— —— Graevius coniiciebat *ut prae se fert*, et sic est in ed. Med. Frustra. Elegans illud est. Notum est illud Virgilianum Aen. I. 507. *talem se ferebat.* ERNEST.

non mediocriter Caesar -- valde contempsit. Cum dixerit *non mediocriter*, cur subiungit *valde?* Fortasse ut magis augeat: ut cum dicebant *vehementer etiam atque etiam.* MANUT.

—— —— Similis repetitio in *tibi -- tibi* Epist. III. 1. *in -- in* L. VII. Epist. XVI. n. 1. [*In equo Troiano scis esse in extremo, sero sapiunt.*] Adde L. V. Ep. VIII. n. 10. [*Quam ob rem tu quantum tuo iudicio tribuendum nobis esse putes, statues ipse, et ut spero, statues ex nostra dignitate.*] Gellius L. XVI. c. 3. *inanes fibrae et vacuae ventris.* CORTIUS.

—— —— Duriter locutus est Coelius: *eum non mediocriter Caesar -- valde contempsit.* Posset aliquis coniicere,

ante vocabulum *valde*, excidisse copulam *et*. Sed Coelius illud *non mediocriter*, quia post haec plura verba erant interiecta, repetiisse videtur alia particula *valde;* sicut in aliis locis pronomina *hic*, *ille*, *is*, loco nominis, quod antecesserat, post parenthesin poni solent. BENEDICT.

Qua in re mihi videtur illud. Pro *qua in re illud* una vocula, opinor, dici potuit *quod.* Nexus sententiarum non satis patet. Est, opinor, hic: *Caesar Curionem ita contemsit, eumque hac re ita offendit, ut, qui nihil consil.* cet. Haec sane obscura laborant brevitate. WEISKE.

in evitandis iis consiliis, qui. Cum sequatur *qui*, rectius videretur *eorum consiliis.* Quid agas? Coelianum est. Similiter dixit in proxima epistola [h. Ed. III. 2.] *eorum odia, quae Hirrum premunt*, pro: *qui Hirrum premunt.* MANUT.

—— —— Sic Peck. et Vict. ed. sed rectius meus primus omittit *iis*, quod videtur natum esse ex ultima syllaba praecedentis vocabuli. Temerarii vero sunt, qui ex coniectura Manutii receperunt *in evitandis eorum consiliis.* GRAEV.

—— —— Ut *petitorem* supra [Ep. III. 2.] pro *petitione* Coelius dixit: ita contra hoc loco *consilia* pro *hominibus consilia agitantibus* posuisse videtur. Ovid. Fast. III. 275. *Egeria est, quae praebet aquas, Dea grata Camoenis, Illa Numae coniux consiliumque fuit.* Auson. Periocha Iliad. XXI. *Tum in campum Achille progresso, statim studia Deorum, pro sua singulari parte depugnant.* Adde Sallust. Cat. c. 14. *omnium flagitiorum atque facinorum circum se, tamquam stipatorum catervas habebat.* CORTIUS.

—— —— Non convenit *iis* vel *his consiliis, qui se adv.* Mihi olim primum hoc legenti venit in mentem, corrigendum esse *eorum consiliis*, quod deinde vidi P. Manutium iam sensisse, atque ita edidisse a. 1540: quem deinde alii secuti sunt usque ad ed. Grut. Id temerarium videbatur Graevio, qui tantum *iis* delebat, auctore MS. suo. Ita *eorum* tamen intelligi debet; quod est h. l. durius. ERNEST.

—— —— Ernesti quidem secutus est Manutii emenda-

tionem corrigentis: *evitandis eorum consiliis*, quia Ernestio ille Coelius durius esse locutus videtur, si supplendum sit: *iis consiliis eorum.* Quamquam igitur non nego, durius haec dicta esse, tamen meminisse debemus, Coelianum loquendi genus nunc explicari. Simili brevitate supra Ep. I. §. 1. scripsit: *data opera paravi, qui sic omnia persequeretur.* Benedict.

§. 3. *comitiorum dilationes.* Potest abesse vocabulum *comitiorum;* quamvis etiam in orat. pro l. Man. c. 1. occurrat *dilatio comitiorum.* Saepe enim alii scriptores, brevitatis studio cum Coelio nostro comparandi, vocabulo *dilatio*, sine additamento quodam, usi sunt. Benedict.

promulgatio de dictatore -- insecuta est. Numquam ita Cicero loqueretur. Quid enim hoc est? *promulgatio de dictatore deiectum magno clamore insecuta est;* cum hoc significet: primum populus ei petenti vulgo negavit: deinde magni clamores in eundem consecuti. Manut.

—— —— Hypallage est, sed durior, quam illa: *dies debilitat*, vide L. I. Ep. 6. n. 1. Ita autem expone: *per promulgationem* deiectus est, et deiectum homines magno clamore exceperunt. Adde Sallust. Iug. c. 5. *studiis civilibus vastitas Italiae finem fecit*, ubi vide. Cortius.

—— —— Quam durum hoc: *promulgatio clamore insecuta est:* pro, fecit ut eum homines magno clamore insequerentur. Nullo modo hoc stare potest. An excidit *plebs?* nam erat creatio aedilium plebis, adeoque plebs praesens? Ernest.

§. 4. *ad Apollinis.* 'Αττικισμός, pro *aedem Apollinis.* L. XIV. Ep. 2. *Ad me P. Valerius, homo officiosus, scripsit, id quod ego maximo cum fletu legi, quemadmodum a Vestae ad tabulam Valeriam ducta esses.* Et pro Milone c. 33. *Cum falcibus ad Castoris, cum gladiis toto foro volitarunt.* Manut.

placitum est. Antique, pro *placuit:* ut *licitum est* pro *licuit: puditum est* pro *puduit.* Cicero L. IV. in Verr. c. 1. *Nego ullam picturam neque in tabula, neque textili fuisse, quin conquisierit, inspexerit; quod placitum sit, abstulerit.* Et D. Brutus L. XI. ep. 1. *Placitum est mihi, ut postularem*

legationem liberam mihi, reliquisque nostris. Et Pompeius in epistola ad consules, L. VIII. ad Attic. 12. *Placitum est mihi, ut Brundisium ducerem hanc copiam, quam mecum habeo.* Muliebri genere Terentius in Andria IV. 1. 21. *Postquam me amare dixi, complacita est tibi.* Eodem modo *puditum esset*, pro *puduisset* dixit Cicero pro Flacco c. 22. et L. II. de Fin. c. 13. *Quos non est veritum ponere*, pro *qui non veriti sunt ponere.* Terentius in Andria II. 6. 12. *Dum licitum est ei, dumque aetas tulit, Amavit;* quo loco Donatus: *Veteres*, inquit, *et placitum et puditum dicebant: quae nos placuit, puduit.* MANUT.

et statim iit. Mihi quidem non satis placet illud *et statim iit*, quod lectio recepta defendit. Si vero Codd. antiquorum lectionem sequimur, haec verba cum antecedentibus arcte cohaerent, atque Coeliano dicendi genere verbum *placitum est* in sequentibus duplici ratione et particulam *ut*, et tempus infinitum *factum iri*, secum coniungit. Verba autem: *Nam Ariminum — iturus*, tamquam iniecta sententiae verba, uncis sunt includenda hoc modo: *placitum est, ut quam primum ad urbem reverteretur Cn. Pompeius: ut coram eo de successione provinciarum ageretur, (nam Ariminum ad exercitum Pompeius erat iturus) et statim, ut puto, idibus Sextil. de ea re factum iri.* BENEDICT.

puto -- de ea re factum iri. Usitatius erat *actum iri:* sed Coelianum est. LALLEM.

—— —— Vitiosum est *factum.* Scripsi *actum*, ut est infra Ep. 9. [h. Ed. VII. 2.] de eadem hac re et ex hoc loco. ERNEST.

—— —— Ernesti quidem h. l. in editione sua emendavit *de ea re actum iri*, sicuti Coelius infra scripsit, ubi eadem narrat. Sed illam tamen emendationem nondum admittendam censeo. Nam nostro loco non solum libri antiqui lectionem receptam defendunt, sed paulo ante etiam scripserat: *de successione provinciarum ageretur.* Itaque variare orationem maluit Coelius; atque etiam alii scriptores interdum *facere de aliquo* posuerunt, pro: *agere de aliquo.* BENEDICT.

coniecit illam vocem. Usitatius esset *iecit:* sed et

in orat. pro Sext. c. 18. est *oratio improbe coniecta.* Malim tamen illud. ERNEST.

nihil exspecto. Proxime, se non exspectare nihil, affirmavit his verbis: *profecto aut transigetur aliquid, aut turpiter intercedetur.* Quid igitur? an secum pugnat Coelius? diversa sententia est: nam hic ait *nihil exspecto,* pro: Caesarem senatui dicto audientem fore nequaquam puto. MANUT.

sic nihil-- quomodo. Pro *sic-- ut,* ut et alibi dixit Cicero. ERNEST.

§. 5. *curesque ut mi vehantur.* Ernesti amplexus est Graevii coniecturam, quam in nullo libro invenerat, et edidit *mihi venentur.* Sed illa emendatione non opus est, quia non solum libri scripti eam improbant, sed etiam brevitatis studio, quod in Coelii dictione ubique deprehendimus, minime repugnat, ut ad verba *ut mi vehantur,* repetas: *pantherae.* BENEDICT.

—— —— Durum est, statim post Cibyratas de alio subiecto, pantheris, cogitare, unde Graevius *venentur* finxit. Sed Coelii, non scribarum vitium videtur. Similis locus est Ep. VIII. §. 8. [h. Ed. VIII. 3.] WEISKE.

EPIST. VI.

Amice, prudenterque scripta et scite, (si plane integram haberemus,) composita epistola. Consilium scriptoris, ex quo omnia opera diiudicantur optime, ex §. 2. est clarum. Scribere volebat ea, ex quibus Cicero maturius constituere posset de provincia. In quo illud quis vituperet, quod non disertius Ciceroni suasit, quid ei agendum esset. Fecit id alias, ut ex II. 13. ad Div. [h. Ed. *Ep.* XVI.] patet, ubi Cicero ad simillimam ceteroquin epistolam respondet. WEISKE.

§. 1. *periculosamque et gravem illam dim.* Particula *que* a quatuor Dresdd. Torgav. et Asc. I. exulat. Itaque, si illorum librorum auctoritatem sequimur, in protasi huius sententiae, quae dicitur, copulam Coelius saepe

repetiit, sive polysyndeto usus est, in apodosi autem, quae iam incipit a verbis *periculosam et gravem illam* etc. asyndeton adhibuit; quod quidem Coelii artificium non negligendum mihi videtur et verba totius sententiae nunc ita constituenda sunt: *Nam si hoc more moderari possemus ut pro viribus copiarum tuarum belli quoque existeret magnitudo et, quantum gloriae triumphoque opus esset, assequeremur: periculosam et gravem illam dimicationem evitaremus, nihil tam esset optandum.* BENEDICT.

Hanc autem nemo ducit rationem. Pro *huius rei rationem*, ut in Verr. Act. II. L. I. c. 48. *suam quoque rationem ducere.* ERNEST.

§. 2. *successionem futuram -- non video.* Videtur *non* esse alieno loco, et ad *futuram* revocandum. Dicit, se intelligere, Ciceroni non successum iri, propter illam controversiam: qua non composita, de ceteris provinciis nihil actum iri. [Si Cicero hoc scripsisset, accederem Ernestii coniecturae; in Coelii autem scriptura nihil videtur mutandum. Sic postea eidem cum Lambino placebat *visum est te facere certiorem*, ubi vulgata Coelii stilo satis convenire videtur. SCHÜTZ.] ERNEST.

moretur. Passive, dixit, antiquo more. Sic in Agraria II. c. 21. *Agrum excipere nominatim, qui publicus esse fateatur.* MANUT.

—— —— Accipiunt impersonaliter dictum, pro *mora fiat.* Sed melius *moremur.* Nam illius formae exemplum desidero. [Nempe in Cicerone. Hic autem Coelius est, qui scribit. SCHÜTZ.] ERNEST.

—— —— Ernesti putat legendum esse *in his tricis moremur.* Quam sententiam statim amplecterer, si in libris antiquis appareret *moretur*, sicut editur. Mihi igitur Coelius videtur scripsisse *mora detur.* Nam de mora nectenda tunc inprimis consilia agitabant Caesaris asseclae. Sicut autem dictio illa *tempus dare* non raro occurrit, ita etiam *moram dare*, pro *moram afferre*, poni potest. Erroris autem causa, ut librarii pro *detur* scriberent *retur*, non est obscura. Nam multis locis literae D et R a librariis com-

mutantur. Confer Drakenborchium et Viros Doctos, quos laudat ad Livii L. IX. c. X. §. 6. BENEDICT.

—— —— Passive; verum inusitate. Gorl. cum plurimis *moraretur*, unde Cl. Benedict. coniicit *mora detur*, quod saltem facilitate se commendat. WEISKE.

§. 3. *Hoc si anno praeterito* cet. Negari nequit, iterum in hac tota periodo Coelianum dicendi genus regnare. Nam Cicero certe non scripsisset: *Curio et actio introiit*, neque posuisset perfectum tempus *introiit*, de tempore adhuc futuro. Non dixisset de eodem tempore adhuc exspectando: *quam facile nunc sit*, atque ab illa numeri syllepsi haud dubie abstinuisset. Coelius enim in his verbis: *qui sua causa remp. non curent*, syllepsi numeri, quae dicitur, usus esse videtur, quia non solum Caesarem, quem nominaverat, sed simul alios multos, quorum auxilio Caesar utebatur, simul intellexit. BENEDICT.

curet, superet -- fallit. Extr. tria verba deinceps posita ingrata sunt, et periodicum artificium, quod non artis, sed naturae in epistolis videri debet, nimis produnt. WEISKE.

EPIST. VII.

Cicero ipse (ad Att. VI. 1.) has litteras *accurate scriptas* dicit: quod non ad verba, sed ad rerum diligenter expositarum et commendatarum copiam pertinet. Nimia verborum brevitas et, si quid aliud vitii inest, illam laudem non tollit. WEISKE.

§. 1. *civem bonum ludit.* *Eine Rolle spielen* heisst nicht *ludere personam* oder *partes*, sondern *agere partes*, auch blos *agere*. (Cic. Orat. I. 27. 124. hodie noluit *agere* Roscius); *Jemandes Rolle spielen*, *aliquem agere*, nicht *ludere*; z. B. *er spielt die Rolle des Chaereas*, *agit Chaeream* (Cic. Rosc. Com. 7. 20.), nicht *ludit Chaeream*, oder *perso-*

nam Chaereae. — Wenn aber Coelius (Cic. Fam. VIII. 9. 1.) sagt: *civem bonum ludit*, so sagt er dies mit Spott, vielleicht in dem Sinne: *er treibt Spott mit der Rolle eines guten Burgers.* KREBS.

sententias dicit. An quia praecedit *ludit*, his verbis alludit ad Terentii verba: *sententias loquitur carnifex?* ERN.

exspectationem corripit cet. Lego: *Exspectationem corrigit; Curionem, prorsus Curionem! non mediocriter obiurgat.* Qua repetitione eleganter subindicat Coelius, qualem se tunc gesserit Curio et quam perseveraverit in suscepta factione defendenda. Et has repetitiones sic Coelio placuisse, vel antecedentis epistolae [h. Ed. VIII.] initium demonstrat, ubi scripsit: *Scito C. Sempronium Rufum, Rufum, mel ac delicias tuas! calumniam maximo plausu tulisse.* IAC. GRONOV.

—— Perperam *exspectatio* pro *mora* et *tarditate* dicitur. WEISKE.

obiurgatus. Deponentaliter ponit, cum etiam active dicatur *obiurgo.* HUBERTINUS.

—— Pro *obiurgavit:* ut *iuratus* pro *iuravit;* et *rebellatos* pro *rebellavisse* dixit Valerius Max. L. IX. c. 10. Interdum tamen orta mihi de mendo suspicio est, quod fortasse scripserit Coelius *obiurgat. scilicet* [*hac repulsa se mutavit*, et *scilicet*, una scriptum litera S, occasionem dederit loci depravandi. Omnes tamen libri veteres in *obiurgatus* consentiunt: itaque potest antiquum esse et ideo Coelianum. MANUT.

—— Libenter *obiurgat* praetuli alteri lectioni *obiurgatus*, quae aliena est. Si reliqua non pro appendice insititia repudiantur, possint corrigi: *adeo* vel *ita hac repulsa se mutavit.* ERNESTI.

—— Manutius affirmat, in antiquis magno consensu legi: *obiurgatus: hac repulsa* — quod etiam in Dr. I, II, V. Torg. Asc. 1. et notis Hubertini inveni. Neque illa lectio tot Codicum auctoritate stabilita reiici debet, quia saepe eiusmodi verba activa etiam deponentis formam admittunt atque incertum est, an non etiam Horatii Sermonum L. II. Sat.

2. 100. *Trausius istis iurgatur verbis*, verbum *iurgatur*, deponentis forma sit usurpatum. Benedict.

—— —— Nemo alius active, ut h. l. videtur dictum, usurpavit. Weiske.

—— —— Haec est plurimorum codicum lectio, quam Benedictus etiam in Dresd. I, II, V, Torg. Asc. 1. invenit. Coelius forma deponentiali usus est; aliarum eiusmodi formarum exemplo, quo ex genere iam Manutius ad h. l. excitaverat *iuratus* pro *iuravit*, et *rebellatos* pro *rebellavisse* ap. Valer. Max. IX. 10. Idem tamen ait sibi interdum hic ortam de mendo suspicionem, quod fortasse scripserit Coelius: *obiurgat. Scilicet hac repulsa se mutavit.* Quoniam tamen omnes libri veteres in *obiurgatus* consentiant, id posse antiquum esse et ideo Coelianum, concedebat. Qui lectionem *obiurgat* praetulerunt, ut Victorius et Ernestius, non animadverterunt eam historiae et huic ipsi loco repugnare. Hirrus enim ante repulsam Caesaris partibus faverat: ideoque Curionem Caesaris adversarium obiurgaverat; nunc mutata ratione coepit contra Caesarem sententias dicere, Curionem autem, quem antea obiurgaverat, laudare. Notum est enim Curionem in tribunatu demum ad Caesaris partes transiisse. Schütz.

hac repulsa se mutavit: Plane puerile est. Verum ille locus non una parte mutilus est. Weiske.

non multum in iudiciis versatus sit. Vix haec orator scripsit post illa *qui nunquam in foro apparuerit.* In pueri usum haec addita credas ab alio. Weiske.

agit causas liberales. Haec lectio a Victorio est profecta. Sed libri antiqui eam non confirmant, licet quoque Ernesti et Graevius Victorium sequantur. Neque satis apparet, quid h. l. sibi velint *causae liberales*, h. e. tales, in quibus libertas alicuius defenditur. Sed si antecedentia respiciuntur: *qui nunquam in foro apparuerit, non multum in iudiciis versatus sit*, his optime ea opposita sunt, quae antiquiorum librorum fere omnium auctoritate leguntur: *agit causam liberalis*, h. e. tamen libenter nunc suscipit aliorum causas et in foro frequenter versatur. Quia vero est ineptus ad eiusmodi negotia neque omnia satis potest ex-

pedire, raro post meridiem actiones continuat. Insolens dicendi genus: *agit liberalis,* pro illo: *agit liberaliter*, ad Coelianam loquendi rationem refero, neque in ipso etiam Cicerone similis verborum coniunctio exemplis caret. BENEDICT.

§. 2. *ne frequentiam quidem efficere potuerant.* Asc. 1. scripsit *poterant:* quod tempus quidem aptius esse videtur, quam alterum *potuerant.* Sed plura iam exempla habuimus, ex quibus patet, Coelium non semper temporum rationem ita, ut par est, habuisse. BENEDICT.

quo tibi magis scripsi, ut-- te parares. Dr. I, II, V, legunt *te pararis:* quod etiam in Coelio defendi posset, si reliqui libri non aliam lectionem proferrent. Asc. 1. tamen legit *te parares.* BENEDICT.

§. 3. *Patiscum Curioni decem pantheras misisse, te non multis partibus plures.* Et ambiguum et inconcinnum est. Addi saltem oportebat *mihi.* WEISKE.

Tu, si-- aiunt. Hic rem, quam vult ut facillimam ob oculos ponere, facit multitudine verborum, ut operosior videatur. Melius idem mox: *nulla tua, nisi loquendi, cura est.* WEISKE.

si modo mem. teneres. Correxi *tenueris*, ut iam Lambinus voluit, quia sequentia omnia [*arcessieris, miseris*] huius formae sunt. ERNESTI.

—— —— Lambinus quidem et Ernesti emendarunt *tenueris:* sed libri scripti non addicunt. Vel hoc loco, Coelium haec scripsisse recordor. BENEDICT.

quod seorsum a collega. Dr. I et II legunt: *quod seorsus a collega puto.* Hanc lectionem *seorsus*, verissimam esse puto, quia antiqui, quos Coelius colebat, ita locuti sunt. BENEDICT.

impera tibi hoc. Imperare sibi dicitur is, qui, quod libenter non agit, agere tamen constituit; ut Epist. 12. [h. Ed. XXI. 1.] *quum homo avarus, ut ea solveret, sibi imperare non posset.* Et Terentius Eun. II. 2. 21. *Imperavi egomet mihi Omnia assentari.* MANUT.

§. 4. *M. Feridium-- tibi commendo.* Brevis Feridii commendatio est plane Tulliana. Hoc unum equidem desi-

deraverim; quod *honestam* dicit rem, quam Cicero ad Att. VI. 1. *foedam* iudicat. Inde pro certo statuere possumus, speciem saltem aliquam turpitudinis in isto negotio fuisse, ut rectius sit: *nec turpe*, vel *nec inhonestum*. Weiske.

istuc venit. Bengelius h. l. edidit *istoc venit.* Ita quoque in duobus antiquioribus Dr. I et II et Asc. 1. inveni. Eodem modo Graevius supra Ep. IV. §. 1. [h. Ed. V. 1.] librorum auctoritate recte ediderat: *istoc perferuntur;* atque in Ep. VIII. §. 29. [h. Ed. VIII. 10.] etiam Dr. I, II scripserunt *Philonem istoc misi.* Benedict.

§. 6. *Contristavit. Contristare*, *betrüben*, steht Klassisch nur bei Coelius (in Cic. Fam. VIII. 9.) sonst nur Nach-Klassisch, und höchst selten; auch ist es ganz unnöthig. Krebs.

§. 7. *Calidius-- fuit disertissimus-- satis frigidus. Disertissimus* et *satis frigidus* non vitiose opponuntur. Sed fortasse hic Coelius ad Calidii nomen simul alludere voluit. Quod si ita est, melius finxisset ioco *Frigidii* nomen. Weiske.

EPIST. VIII.

Nonnulli hanc epistolam vix dignam habuerunt, in qua explicanda elaborarent; quo iure, ipsi viderint. Si complura depravata sunt, si quaedam consuetudines fori et curiae nobis minus notae, unde verborum intellectus pendeat: nostram vicem dolere, Coelium autem contemnere non debemus. Quod autem pro ratione instituti nostri in Analysi agere debemus, id ut agamus, non multum nobis iuris est in talem epistolam.

Cum pleraque ad narrandi genus pertineant, in operis summa fere omnia ad leges bonae narrationis exigere debemus: et sic nobis epistola, ut ad familiarem scripta, non inepta videtur. Si comparare voluerimus Ciceronis ad Atticum in simili re (v. g. I. 16.) scriptas, eas faciliores quidem (*fliessender*) et meliores, easdem tamen similiter ar-

gutas, et concise breviterque scriptas, reperiemus, et ita, ut passim aliqua obscuritatis species oboriatur. WEISKE.

§. 1. *Etsi de re publica.* Quod de rep. non prius scribit, sed de turpibus iudiciis, magis ex ingenio suo facit, quam ut Ciceroni gratificetur, qui sine dubio illa, quae de rep. habet, prius mallet cognoscere, v. ad div. II. 8. [h. Ed. Ep. IV.] Verum Coelius ἐπιχαιρέκακος aegre se continebat, quominus §. 1. — 4. prius effunderet. WEISKE.

nihil, quo magis te gavisurum putet. Meus primus: *nihil, quod magis te gavisurum putet.* Et hoc Coelianum est; sic superius Ep. II. [h. Ed. II. 1.] *puto, ut suum gaudium gauderemus:* et inferius Ep. XIV. [h. Ed. XXII. 1.] *Nunc furit tam gavisos homines suum dolorem.* GRAEV.

—— —— Graevius e MS. suo edidit *quod:* quia Coelius constructionem hanc aliquoties habet. Sic et MS. Gu. itaque eum imitatus sum. ERNESTI.

—— —— Graevius ex suo primo *quod* edidit, eumque Ernesti secutus est, quia eandem scripturam *quod magis* etiam in Guelferbitano reperiebat. Idem quoque Dr. II. affert; et, quia Coelius etiam aliis locis simili ratione loquendi usus est, receptam illam lectionem non sollicito. BENEDICT.

mel. Sic appellamus ea, quibus mire delectamur. Plautus in Curc. I. 3. 8. *Assum: nam si absim, haud recusem, quin mihi male sit, mel meum.* MANUT.

invocatus. *Non vocatus*, ut Plaut. Captiv. I. 1. 2. *quia invocatus soleo esse in convivio.* CORTIUS.

si quid iniuriis suis esset, quod Vestorius teneret. Quod si ex his verbis aliquam omnino cogar elicere sententiam, interpretabor hoc modo: Tibi pro beneficio dedit, si quid esset iniuriis suis, id est, si quid esset suo damno suaque iniuria, quod Vestorius teneret: quasi ademptum sibi aliquid, ac teneri a Vestorio diceret, quod aliqua eius iniuria fieret. Nam, ut *iniuria* interdum adverbii loco ponimus, ut: *iniuria facis hoc*, sic videtur pronomen addi posse, ut dicatur *iniuria mea facis hoc:* quemadmodum *ingratiis* et *ingratiis tuis*, *merito* et *merito*

meo veteres dicebant. Paullo asperius hoc est, aliquis dicet: quis negat? verum hanc asperitatem Coelius amavit: ut in eius Vita iam ostendimus. MANUT.

—— —— Haec nemo explicare potuit. Sunt sine dubio vitiosa, sed, destituentibus libris, corrigi non possunt. ERN.

§. 2. *quod non venderet, cuiquam reliquerat.* *Quisquam* tribus modis videtur usurpari: cum dubitamus, ut: *si quisquam ita sentit;* cum negamus, ut: *ne quisquam putet;* cum interrogamus, ut: *quisquam tam impudens reperietur?* Coelius tamen hic neque dubitat, neque negat, neque interrogat; sed affirmat. Et puto Veteres ita locutos, quorum scripta sine delectu Coelius imitatus est. Confirmatur hoc exemplum altero Aemiliani Scipionis exemplo: cuius verba, ex oratione contra legem iudiciariam Ti. Gracchi, a Macrobio L. II. Saturn. c. 10. recitata cum legerem, hoc animadverti: *Haec cum mihi quisquam narrabat, non poteram animum inducere, ea liberos suos homines nobiles docere.* MANUT.

—— —— Si ad Servilium pertinet, ut sensus sit, suis nihil reliquerat, omnia sua vendiderat; sensus commodus est, sed oratio est durior: sin, nihil reliquisse aliis, quod illi venderent; *non* deleri debet. Edd. vet. habent *quicquam:* forte melius. Locus mihi suspectus est: ut et sequens illud, *maximeque nobis traditus erat invidiae*, cui sensum aliquem tolerabilem tribuere possumus, ut v. c. Graevius: qui maximo in odio erat, cum nobis defendendus traderetur: sed an ille sit in verbis, alia res est. Omnino tota haec de Servilio ῥῆσις est vitiosissima. ERNESTI.

—— —— Locum hunc, ut nunc legitur, [*nec*, *quod non venderet*, *quoiquam reliquerat*] sanum puto, quamvis libri antiqui alia quaedam afferant. Etiam Ernesti totam hanc de Servilio ῥῆσιν habet vitiosissimam. Cui tamen, Manutii verbis ad hunc locum, respondendum videtur, omnia in Coelio esse ferenda. BENEDICT.

maximaque nobis traditus erat invidia. Cum invisus esset omnibus. Sigonii liber, *maxime qui nobis traditus erat invidiae.* Minor igitur mutatio fieret, si le-

geretur hoc modo: *maximaque nobis traditus erat invidia:* etsi video sententiam claudicare; sed in Coelio ferenda sunt omnia. MANUT.

—— —— Legerim *maximaeque nobis traditus erat invidiae*, hoc sensu, cum nobis traditus esset, cum se nobis defendendum tradidisset, male homines de eo loquebantur. *Maximae esse invidiae* dicitur, ut: *maximo odio esse*, et *esse infamiae* apud Livium L. XXXIX. [c. 6.] *Nec ea sola infamiae erant, quae in provincia procul ab oculis facta narrabantur.* Ordo verborum est: *traditusque nobis maximae erat invidiae.* Sic supra [h. Ed. XIII. 1.] *Non dubito, quin perlatum ad te sit, Appium a Dolabella reum factum: sane non est, quam existimaveram, invidia.* Et Suet. Aug. 71. *Ex quibus sive criminibus, sive maledictis infamiam impudicitiae facillime refutavit, et praesentis et posterae vitae castitate, item lautitiarum invidiam.* Malos rumores de supellectilis pretiosae cupiditate. GRAEVIUS.

expostulante Pausania. Graevius reddidit vetus *postulante.* Bene. Sic et Ms. Gu. etsi *expostulare* pro *postulare* est etiam pro Rosc. A. Com. 17. Sed quis est iste Pausanias, qui postulat apud praetorem in tali causa, homo Graecus? ERNESTI.

de repetundis eum postulavit. Dr. I, II, V, Torgav. Graevii I atque haud dubie etiam alii omittunt particulam *de.* Quamquam autem in Cicerone semper haec particula, si simili modo verba construuntur, vocabulo *postulare* adiici solet, tamen Coelius forte etiam sine hac particula locutus est: *postulare repetundis;* sicut in simili dictione et *accusare crimine* et *accusare de crimine* poni solet. BENEDICT.

loqui est coeptum. Passionem tribuit verbo, actionem potius requirenti. Sed antiquum fuit, id est Coelianum. MANUT.

Quo vento cet. Totum locum ita emendo: *ut impie de pecunia ex bonis patris pervenisse ad Servilium praevaricationisque causam diceret depositum LLS. LXXXI.* Accusaverat igitur Appius Servilium, aliquam pecuniae sum-

mam ex bonis patris ad eum impie pervenisse atque illud pecuniae apud Servilium depositae pondus eidem praevaricationis causam fuisse, ut actione iniusta depositam pecuniam sibi retineret. Haec explicatio in loco tam obscuro propter historiae totius, quam Coelius respicit, ignorationem, aliquem saltem sensum ex his verbis, antiquorum librorum auctoritate expressis, elicuit, cum antea sensum fere nullum iis inesse viderem. — Fateor quidem constructionem verborum, qua Coelius usus est, *Quo vento proiicitur Appius minor, ut .. diceret*, non esse regulis bonae latinitatis adcommodatam. Sed mihi tamen tempus illud *proiicitur* simul tempus praeteritum complecti videtur. Nam Coelius totam Appii actionem enarrat, quae tamen Laterensis Praetoris inscitia nondum erat finita. Itaque Appius quidem Servilium adhuc reum agebat, et de eo Coelius scribit: *proiicitur*, sed ipsa accusationis causa iam ad Praetorem delata erat; quare de Appio Coelius: *proiicitur — ut diceret.* BENEDICT.

diceret. Aut hoc abundat, cum *indicet* dixerit: aut mendosum videtur, cum *dicat* ad verbum *indicet* rectius accommodetur. MANUT.

—— —— Non convenit τῷ *indicet:* debet esse *dicat.* Sed ego plane delendum puto, et esse a glossatore. ERNESTI.

qui litis aestimarant. Quod *litis* pro *lites* scriptum sit, antiquae consuetudinis est. Priscianus L. VII. [c. XVII. 86. Kr.] *has lites* et *litis:* Cicero in Frumentaria: *Sedasti enim litis illorum.* MANUT.

§. 3. *quod eorum iudicium maior pars.* Vulgo *iudicum:* sed illud antiquius, quemadmodum apud Plautum *meretricium* pro *meretricum.* Et ego apud Fabium Quintilianum inveni *artificium* in Pal. MS. pro *artificum.* Sic quoque editio Antwerpiensis. GEBHARDUS.

—— —— Male hic nonnullorum vett. librorum auctoritate nixus antiquitatem affectat Gebhardus. Meus sane codex vetustissimus cum reliquis scribit *iudicum*, quod merito retinemus cum editionibus melioribus. GRAEVIUS.

§. 9. *alteram utram.* Hanc lectionem Dr. I, II,

Torgav. confirmant. Ernesti tamen cum recentioribus edidit *alterutram*. BENEDICT.

neque h. a. sua ratio habeatur. Sua e Mss. Gu. Gorl. et edd. Med. Asc. dedi pro *sui*. Vid. supra ad Ep. 5. [h. Ed. VI. 1. *hanc autem nemo ducit rationem*.] ERNESTI.

—— —— Tres Dresdenss. Torgav. et Asc. I. legunt *sua ratio habeatur*. Simili modo Cicero in Verrem Act. II. L. I. c. 48. scripsit: *Debere eum aiebat suam quoque rationem ducere; multa sibi opus esse, multa canibus suis, quos circa se haberet*. Etiam Ernesti h. l. ex Gorlic. Guelferb. ed. Mediolan. et Asc. II. ita emendavit: *sua ratio habeatur*. BENEDICT.

quid assequi possit-- non posse. Bis hoc § *posse* ex vulgi, opinor, sermonis usu, ut verbum auxiliare nullius significationis adhibetur. Cicero Dialecticis melius excultus hoc nusquam facit. Cf. praef. ad. Epp. D. Bruti. WEISKE.

§. 10. *mihi suo munere negotium imposuit*. Similiter Plautinus ille senex in Trin. II. 2. 108. *In benignitate hoc repperi negotium*. MANUT.

istoc misi. Libri scripti et editi omnes habent *istuc*. Quin ponamus vel ubique *istuc*, vel h. l. *istoc*, quod ego feci. WEISKE.

in iis-- literis descripsi. Mire *descripsi* in tali re. Corr. *ad te scripsi*. ERNESTI.

EPIST. XI.

Epistola est vix digna homine docto; quae si Ciceroni ob argumentum fuit probata, ob ieiunitatem certe et orationis asperitatem ingratamque eius negligentiam placere non potuit. WEISKE.

§. 1. *praecipuum metum, quod ad te attinebat, habui*. Quin brevius *de te*. WEISKE.

quam paratus ab exercitu. *Quam* non auget hic,

sed minuit; ut paullo post [§. 5.] *sin autem aut non erit istic bellum, aut tantum erit, ut vos aut successores parvis additis copiis, sustinere possint.* Dixit igitur *quam paratus* pro *quam male paratus*, quod ostendit sequentibus verbis: *si paratior ab exercitu esses.* MANUT.

—— —— Suspicatus sum aliquando excidisse *parum:* sed ironice potest accipi. Vidit et Lambinus, qui *imparatus* coniiciebat, sed et ironiam agnoscebat. Sed tamen serio hic loquitur. ERNESTI.

—— —— *Quam male instructus.* Sic mox: *quam probabilis* pro: *quam parum probabilis*, et [§. 5.] *tantum* pro: *tam exiguum.* WEISKE.

quomodo acciperent homines. Clarius et usitatius *accepturi essent.* WEISKE.

vereor etiam nunc. Temporum ordo postulat *veritus sum et vereor.* Sed propter *etiam* ea brevitas excusationem habet. WEISKE.

§. 3. *A te literae non venerunt.* Commodior huius § locus esset post §. 1. Offendunt etiam tot infinitivi in *sse* [*finxisse*, *immisisse*, *renuntiasse*]. WEISKE.

§. 4. *efficax. Efficax*, *wirksam*, kommt, wiewohl es Coelius (Cic. Fam. VIII. 10.) und Livius [I. 9. XLI. 15.] gebraucht haben, bei Caesar und Cicero nirgends vor, obgleich der Letztere das *Subst. efficacitas* braucht [Tusc. IV. 13. et Q. Cic. de Pet. cons. 3.] KREBS.

itemque Servius. In ed. Graev. est *Servium*, ut ad *nosti* referatur. Sed non est necesse: nam potuit variare constructionem. ERNESTI.

§. 5. *Sin autem non erit istic bellum.* Dr. I et II: *Sin aut sit*, *aut non erit istic.* Torg. Dr. III, V, Asc. 1. cum Peck.: *Sin autem sit aut non erit.* Pro verbis: *aut tantum erit* Dr. III, V, Asc. 1. legunt: *aut tum erit*, et Torg. *autem tum erit.* Mendi origo latet in particula *aut*, quam alii cum nota apposita: *au't*, h. e. *autem* scripserunt. Si iam librorum antiquiorum auctoritate editur: *Sin aut sit, aut non erit istic bellum* — concedo quidem in his verbis notiones non satis accurate invicem cohaerere, sed

quia in Coelii dictione similia loca occurrunt, hanc verborum explicationem praeferendam puto, qua sequentia: *ut vos aut successores parvis additis copiis sustinere possint*, ad singulas tres causas, quas fieri posse ponit, singillatim referantur. Quasi scripsisset: Si autem vel sit bellum eiusmodi, ut parvis copiis additis tui successores sustinere possint, vel plane non futurum sit bellum, ut iisdem copiis, parvo numero additis, se tenere possint, vel tam parum periculi afferat, ut exiguo tantum militum supplemento opus sit. BENEDICT.

tantum erit. Eiusmodi erit. Nam hic *tantum* minuendi vim habet, non augendi. Vide L. 1. Ep. 7. [§. 4.] *tantam vim habet.* MANUT.

§. 6. *de quo negant Caesarem laborare, sed Pompeium valde nolle.* Post *nego* sequitur *sed*, affirmante sententia. Sueton. Claud. c. 15. [*negat cognitionis rem, sed ordinarii iuris esse.*] WEISKE.

EPIST. XIII.

Praecipuae partes epistolae sunt Appii commendatio et de Dolabella consilium: quae caussae diligenter ab auctore aguntur, et quas sub finem paucissimis verbis rursus commendat. Agnoscit Cicero, qui ad div. II. 13. [h. Ed. XVI.] respondens ad has litteras: (*litterae*,) inquit, *vel quas proxime acceperam, quam prudentis! quam multi et officii et consilii!* Si rogatu Appii priora; prudenter iam hoc fecit, quod tantum, quasi e sua sententia, amice suasit. Recte et, suo more, breviter §. 1. *f.* docet, si gratificetur Appio, nec reo suspectam fore eius reconciliationem, nec aliis iustitiam et severitatem. De Dolabellae negotio caute, et verbis minus apertis. Tribus autem argumentis §. 2. Ciceronem deterret: a) *denique — emanarit.* b) *porro — q. deceat*, *aut* c) *expediat*, *f.* Haec apte §. 5. repetuntur: ad primum refertur *aequitatis opinio;* ad medium *dign.*

tua; ad extremum *haec r. de q. loquor*, quia, si divulgetur, multi multa machinari possint, ne illae nuptiae concilientur. WEISKE.

simultas tibi non fuisset. Pro *si non fuisset;* quam coniunctionem omittere solent. Plinius Ep. 1. 12. 8. *Dedisses huic animo par corpus, fecisset quod optabat.* Sallust. Iug. c. 64. *dimidia pars exercitus sibi permitteretur, paucis diebus Iugurtham in catenis habiturum.* Ita quidem vulgati, sed MSS. addunt *si.* CORTIUS.

—— —— Necessarium non est *τὸ si*, quod hic adiiciunt. Graeca est relativi brevitas, pro: *cum eo, liberius — esset, cum q.* etc. Sic non sentitur huius particulae necessitas. WEISKE.

Illud mihi-- discessit. Sensim hac sententia ad aliam epistolae partem oratio delabitur, ut non sentiatur transitus. Mihi hoc non probatur. Qui sine iusta cogitatione, ut ita dicam, legit, huic talis transitio grata fuerit: cogitate et attente legentem offendit, quia incertus aliquantulum haeret, quorsum spectet talis sententia. Ergo neque ad suavitatem, neque ad perspicuitatem facit. WEISKE.

§. 2. *Denique invidiosum tibi sit.* Sic Gu. edd. Med. et seqq. item Victorius. P. Manutius edidit et inde alii *ne qua invidiosum t. s.* quod Lambinus praeferebat: quem sequor. Nam *denique* nullo modo locum habere potest in ratione consilii prima. ERNESTI.

—— ——, *Denique* significat fere *certe*, et indicat primarium hoc esse argumentum, quo auctor unice fidat. Sed tamen durum est hoc ab initio poni. Melius Ep. XI. §. 7. [h. Ed. XVII. 6.] WEISKE.

significatio ulla si intercesserit. Particulam *si* ignorant Dr. I, II, V, Torgav. Plauti aliorumque antiquorum mos est, particulam *si*, ubi vulgo ponitur, omittendi; eosque antiquos Coelius, ut constat, imitabatur. Quod h. l. eo facilius sibi permittere potuit, quia modo praecesserat: *si emanarit.* Illud autem tempus: *intercessit*, etiam a Coelio forte pro futuro tempore est usurpatum. Nam ita iam locutus est in ultima paragrapho epistolae

antecedentis [h. Ed. VI.] Itaque librorum illorum auctoritate scribendum est: *Porro, significatio ulla intercessit: clarius, quam deceat aut expediat, fiat.* BENEDICT.

clarius, quam deceat aut expediat, fiat. Minus haec clausula offendit, quam Ep. V. [h. Ed. VI. 3. *curet, superet -- fallit.*] WEISKE.

§. 3. *alterutrum de filiis.* Torgav. *alterumutrum de filiis,* sicut etiam Bengelius ex edit. Victorii expressit; quia antiquiores ita loqui solebant. BENEDICT.

potuit sine Parthis. Non indigebamus Parthis; eorum opera aequo animo carere poteramus. Nam *potest* pro *fieri potest* usitatum, ut suppleatur *res*, aut similia verba indefinitae significationis. WEISKE.

§. 4. *ferventissime concerpitur.* Carpitur, movetur: a quo? a se ipso, suis actionibus pro Caesare, novisque legibus, viaria et alimentaria. Iure sordes verborum in Coelio damnavit antiquitas. Quid enim hoc est, *ferventissime concerpitur?* MANUT.

§. 6. *Turpe tibi erit.* Festiva et iucundo lepore temperata admonitio amici. Animo legentis rationem excogitandam relinquit: amicitiae laudem continet: et tamen speciem quandam habet obiurgationis. Quasi aculeus est in fine epistolae, quem tamen amicus cum sensu voluptatis recipiat. Cf. ep. IX. §. 5. [h. Ed. VII. §. 3. *Turpe tibi erit Patiscum Curioni decem pantheras misisse, te non multis partibus plures.*] Et ad Div. VII. 24. [Cicero ad M. Fabium Gallum: *Catonem tuum mihi mitte: cupio enim legere. Me adhuc non legisse turpe utrique nostrum est.*] WEISKE.

EPIST. XIV.

§. 1. *ne hunc risum meum metus aliqui perturbet.* Pro *aliquis;* antique: ut L. XII. 18. *Quo iste, nescio qui, Caecilius Bassus erumperet.* MANUT.

—— —— Aptius videatur, locum verborum *peric.* et *me-*

tus permutare: sed litotis in *metus* pro *calamitas* excusanda, et fortasse laudanda. WEISKE.

§. 2. *nondum retuleras!* Mihi etiam cum Bengelio vera esse videtur lectio antiquorum librorum: *nondum retuleras;* eamque ex Coelii ingenio, qui in dicendo inprimis brevitati studebat, ita vernacula lingua interpretor: *Dergleichen hast du mir noch nicht erzählt!* sive: *So etwas ist unerhört!* Rationem huius interpretationis in sequentibus verbis invenio. Quia statim pergit: *Multa in hoc genere incredibilia, te absente, acciderunt.* BENEDICT.

cum qua sit aliquis deprehensus. Coelius, antiquitatis studiosus, haud dubie scripsit *aliqui.* BENEDICT.

EPIST. XVII.

Paullo melior haec Epistola videtur, quam antecedens [h. Ed. XI.]: neque tamen lectu est iucunda. Partes maiores optimo ordine sunt collocatae, ut tamen omnia temporum hominumque iniuria perturbari non potuerint. WEISKE.

§. 1. *cui omnibus rationibus comitiales eripiebantur.* Aliam eamque meliorem lectionem libri antiqui afferunt: *qui omnibus rationibus comitiales eripiantur.* Nam illud *qui* est antiquius ideoque Coeliano scribendi generi magis accommodatum. BENEDICT.

ne quid-- boni. Illud insolens est Caelii *Ne quod furore Pauli ademptus esset boni:* sic enim constituendam scripturam arbitror, non *adeptus.* Est enim Graece locutus εἴπερ ἀγαθόν τι ἀφῃρημένος εἴη. ut in Trinummo Plauti [II. 4. 26.] *Quas sponsione pronuper tu exactus es.* Et apud Gellium [XV. 14.] in Metelli oratione: *Sese maximas pecunias exactos esse.* Et apud Caecilium, referente ibidem Gellio: *Ego illud nihilominus exigor portorium.* TURNEBUS.

—— —— Turnebus XII Advers. c. XVII. legit *ademptus,* quod confirmatur aliquot MSS. Insolentia autem dictionis in

mutationem induxit: intelligit autem facultatem agendi cum populo. Dicitur autem *ademptus sum hoc*, ut *exactus sum tributum*, de quo ad L. VII. ep. 10. n. 6. et Terent. Eunuch. Prolog. v. 17. *quae ille condonabitur.* Virgil. I. Aen. 232. *Tristior et lacrymis oculos suffusa nitentes.* ibid. 324. *Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentes* et sic ille saepissime. Ovid. II. Fast. 803. *positis urgetur pectora palmis.* Et sic alii permulti. CORTIUS.

Plane, quod -- gratias agas, est. Melius ita scriptum esset: *Plane est, quod -- agas.* WEISKE.

Nam Marcellus sic respondit ei, spem in istis. Ernesti suasu Graevii sine librorum auctoritate, omissa vocula *ei*, emendavit *sic respondit, se spem in istis.* Qua emendatione in Coelio non opus est. BENEDICT.

—— —— Cui? Curioni sane. Verumtamen durum, hunc non nominari. WEISKE.

§. 2. *de te et locutus honorifice.* Particulam *et* supervacaneam esse cur non putem? feratur tamen, ut in Coelio, cuius χαρακτὴρ a purissimo et ornatissimo Ciceronis sermone quam longe distet, omnes intelligunt. Quod etiam critici veteres, quorum testimonia iam recitavimus, facile iudicarunt. MANUT.

§. 4. *Decrerant quidem.* Non equidem is sum, qui divinationibus, praesertim quae sola coniectura nitantur, facile acquiescam: verumtamen, ubi nec sententia repugnat, et mutatio levis est, cur libertatem ingeniis eripiam? Hoc quidem in loco, qui nunc in manibus est, cum antiqui libri plerique haberent *deerant*, nonnulli *deserant*, alii aliter, ex hac varietate sum adductus, ut probarem *decrerant.* Qua sententia, nunc exponam. -- Accedit Coeliani sermonis consuetudo, paullo enim ante [§. 2.] dictum est *non decrerat supplicationes.* MANUT.

§. 5. *si omnibus rebus -- manebit.* Quis illa probet? Ponere voluit auctor, quod facile apparet, e duobus incommodis alterutrum necessarium: et tamen, quod vix credas, vel idem bis dixit, vel ita obscure et ambigue prius *Caesar defendetur* enunciavit, ut disiuncta

non apparerent. Hoc eo ingratius est, quod, nescio quid exspectantes magni ob verba *hoc tibi dico*, destituimur. Quoniam in priori *Caesar defendetur* significatur, rem ad arma venturam, mali ominis avertendi causa alius, opinor, haec verba omisisset, ut in simili loco factum putamus a Coelio Ep. XIII. §. 3. [h. Ed. XVIII. 2. *quidnam reipublicae futurum sit, si- aut non curet:* quod mihi integrum videtur. Ad omen evitandum non addit Coelius: *armis obsistat Caesari.*] Aposiopesin item statuimus Ep. V. §. 7. [h. Ed. VI. 3. *Quodsi anno praeterito Curio tribunus et eadem actio de provinciis introiisset.... At quam facile* cet.] ubi multo minus necessaria est, quam hoc loco. Weiske.

§. 6. *et funerum et ineptiarum ceterarum.* Cogitabam olim legendum esse: *et ceterarum ineptiarum plura: habet et utilia.* Sed nunc edita non moveo: *funerum et ineptiarum ceterarum* sc. explosiones. Graevius.

—— —— Excidit substantivum, sive legendum *cetera:* nam *explosiones* his non conveniunt. Graevii correctio, *et ceterarum ineptiarum plura: habet et utilia,* non placet satis. Ernesti.

—— —— Hos genitivos structura, non sensu, cohaerentes cum *explosiones,* honesto zeugmatis nomine excusant. Weiske.

§. 7. *quando suspicaris.* Omnes antiqui libri pro *quando* habent *quom,* id est, *cum:* quod veteres usurpabant pro *quoniam* vel *quando.* Manut.

EPIST. XVIII.

Gratulatio est mediocris, sed consulto, ut videtur, ita scripta, et magna ex parte ironice. Weiske.

§. 1. *Gratulor tibi affinitate.* Intellige *de,* aut potius addendum: nisi malis cum Lambino *affinitatem,* quod prope malim. Ernesti.

— — *Gratulari, Glück wünschen, Freude bezeugen*, wird verbunden mit *alicui de aliqua re* oder *aliquam rem*, oder mit *quod* und dem Indic. — Zweifelhaft aber ist der blosse *Ablativ* ohne *de*, der von Einigen ganz verworfen wird, indem sie bei Cic. Att. V. 20. für *celebritate-celebritatem*, und bei Coelius (Cic. Fam. VIII. 13.) für *affinitate-affinitatem* lesen. KREBS.

§. 2. *ut ratio esset eius habenda.* Hoc totum ita legitur in antiquis libris: *ut ratione eius habenda, qui exercitum, neque provincias traderet;* quod ita mendosum est, ut omnis mihi quidem ad correctionem aditus intercludatur. Relinquo non invitus, quod alii quaerant. Sententia quidem haec videtur esse: Transierant Senatores in alia omnia, id est, probaverant Curionis intercessionem, improbantes M. Marcelli sententiam; tamquam ratione illius habenda, qui neque exercitum, neque provincias traderet. Hoc, ut dixi, arbitror significari: sed addere verbum *neque* contra veteres libros non audeo: nisi si, ut est omnino asper durusque Coelii sermo, scriptum ab eo putemus *qui exercitum, neque provincias traderet*, pro: *qui neque exercitum, neque provincias traderet*, ut *neque* tam ad *exercitum*, quam ad *provincias* referatur. MANUT.

vos senes divites videritis. Quid sibi *divites* velit, non assequor: nam ad periculum in bello civili referre, durum puto. ERNESTI.

— — Ernestium illud *divites* offendit, quia nulla causa apparere videtur, quare Coelius hoc vocabulum adiecerit. Coelius quidem sua dicendi brevitate, ut saepe alias, ita etiam h. l. obscuritatem peperit. Videtur autem illos iuniores senatorum respicere, qui a Caesare vario modo corrupti, quod ille cuperet, non, quod e republica esset, censuerant. Coelius igitur contra de illis senatus principibus scribit: *vos senes divites videritis*, quia illi sive non indigebant Caesaris muneribus, sive ea iure suo spernebant, ideoque divitum loco erant habendi. BENEDICT.

EPIST. XXI.

In hoc praecipuo, et fere uno argumento auctor hactenus bene versatus est, quod caussam iniuriarum conatusque Appii plene, ordine, et dilucide satis exposuit, ut tam narrationem, quam eius adversus Appium agendi rationem laudare debeamus. Nec minus prudentia probanda, quod valde verosimile reddidit, se tam turpi crimine (*lege Scatinia*) per calumniam accusari. Weiske.

§. 1. *Pudet me tibi confiteri.* Melius: *suppudet* vel *paene pudet.* Is, quem plane et vere pudet, tacet potius. Weiske.

qui me odisse, quia m. m. d. b., coepit. Coniunctim positum *odisse coepit* melius sententiam clauderet. Weiske.

ut ea solveret. Beneficia solvere pro *reddere pecunias creditas*, inusitatum. Weiske.

sibi imperare. Imperare sibi dicitur, qui aliter agere ita solitus est, ut non libenter a consuetudine discedat. Appius autem avarus: ideo sibi, ut beneficia solvat, imperare non potest. Sic locutus Epist. 9. [h. Ed. VII. 3.] *Impera tibi: hoc cura.* Manut.

male eum de me cogitare. Melius haec absint. Weiske.

comperi eum collegium tentasse. Augures, (erat enim Appius augur) ut aliquid contra Coelium molirentur. Alii ex coniectura, parum necessaria, contra veteres omnes libros legendum putant *collegam*, id est, Pisonem censorem: quod hoc tempore censuram gerebat Appius. Manut.

—— —— Legendum, ut bene monuerunt alii, *collegam*, nimirum L. Pisonem, qui in censura erat collega Appii. Hunc iste tentavit, ut et ipse notaret Coelium. Nam unius censoris nota, sine alterius collegae assensu, habebatur irrita. Inepti sunt, qui de collegio augurum haec intelligunt. Graevius.

—— —— Graevius volebat *collegam*, sc. L. Pisonem censorem. Sed et illud rectum, et exquisitius est. Ernesti.

velle hoc munusculum deferre Cn. Pompeio. Negotium dare Pompeio, ut me accusaret. Nisi hoc dicit Coelius, quid aliud significet, non video. Scrupulum tamen sentio; primum, verisimile non videtur ita desipere Appium, ut Cn. Pompeium, virum gravissimum, principem civitatis, qui cum imperio ad urbem erat, adduci posse ad suscipiendam accusationem existimet: deinde, *munusculum deferre* non est apud Coelium *accusandi curam committere*, sed *accusare*, ut Ep. VIII. [h. Ed. VIII. 1.] *Nemini hoc deferre munusculum maluit, quam suo accusatori:* postremo, genus loquendi, etsi multa in Coelio dissimulanda non ignoro, tamen hoc quidem ferre vix possum, *impetrare a me non potui, ipsum reprehenderem.* Quis enim non videt *ut* desiderari? Quae cum intueor, libenter ad eam deducor coniecturam, ut hoc modo legendum et distinguendum putem: *Hoc munusculum deferre, Cn. Pompeio ipsum reprehendente: ut ab eo deprecarer iniuriam* cet. Nec tamen hanc opinionem nihil adiuvat scriptus liber, qui est apud me, in quo est *ut ab eo*, non, ut vulgo legitur, *et ab eo.* Erit autem *munusculum deferre*, accusare: quo sensu usurpatum etiam est, ut dixi, Ep. VIII. Quod si uis libros typis impressos malit approbare, accipiat *reprehenderem*, non pro *obiurgarem*, quod absurdum hic quidem esset, sed pro *prenderem*, id est, rogarem, ut accusandi consilium abiiceret. Manut.

—— —— *Munusculum deferre Pompeio* non est hoc loco accusare, sed in gratiam Pompeii velle hoc facere, scilicet me notare. Sensus totius loci est: Postquam comperi, illum collegam suum, censorem Pisonem sollicitare, ut mihi notam inureret, et cum meo inimico Domitio consilia in meam perniciem inire, volui hoc in illius gratiam facere, ut ipsum precarer, et obtestarer, ne tam inique mecum ageret, sed non potui hoc a me impetrare, ut ei, quem servaveram, fierem supplex. Sic superius Ep. 8. huius libri: *Nemini hoc deferre munusculum maluit, quam suo accusatori.* Cicero III. de Offic. c. 18. *Alieni facinoris munusculum non repudiaverunt.* Graevius.

ipsum reprehenderem. Acriter me torsit hic locus. Turbabant enim veteres codices et Manutius. Amstelodam. *ipsum reprehendere.* Unus Manutii, *ut ab eo deprecarer iniuriam.* Cogitabam pro *ipsum reprehenderem*, scribendum esse *ipsum prenderem*, hoc est, obtestarer, precarer: sed hiabat oratio. I. Fr. Gronovius, cum olim superstes me visisset, non modo probabat hanc emendationem: sed ne hians esset periodus, testabatur, iam olim se vidisse legendum esse, *ipsum ut prenderem.* GRAEVIUS.

—— —— Hoc sine dubio vitiosum est. Excidit primum *ut:* deinde *reprehenderem* ineptum est. Bene I. F. Gronovius, *ipsum ut prenderem*, corrigit, probante Graevio. *Prendere* pro prensare, rogare, ut supra Ep. 11. [h. Ed. XVII. 2. *Renuntiatum nobis erat Hirrum diutius dicturum: prendimus eum.*] ERNESTI.

—— —— Ita omnes libri antiqui legunt. Ernesti tamen cum Graevio et I. Fr. Gronovio emendavit: *ipsum ut prenderem.* Sed non opus esse puto hac emendatione, si vocabulum *reprehenderem* interpretamur *revocarem ab iniuria et accusatione et precibus meis retinerem:* quo sensu hoc verbum non raro occurrit. Insolens tantum h. l. est ellipsis vocabuli *ut*, quam tamen Coelius etiam alibi in simili verborum coniunctione sibi permisit Ep. VI. §. 6. [h. Ed. XIII. 2.] *Unum illud monere te possum -- tamen hoc tempore nihil de tua voluntate ostendas et exspectes.* BENEDICT.

§. 2. *aliquot amicis -- locutus sum.* Usurpat et Cicero hoc verbum cum dandi casu L. VI. ad Att. Ep. 1. *Haec non noram tum, cum Democrito tuo locutus sum.* Et Plautus in Men. V. 9. 7. *Adolescens, quaeso hercle loquere tuum mihi nomen, ni piget.* MANUT.

ne cui satisfaceret. Corrupte hic locus in libris antiquis legitur. Dr. I. II. V. scribunt: *ne quo is satisfacere quidem.* Dr. III. cum Asc. I.: *nequeo satisfacere quidem.* Torg.: *nequeo et satis facere quidem.* Verbum *satisfaceret* h. l. est necessarium, et, quia alii testantur, ita in libris suis legi, huius verbi tempus non mutandum censeo. Sed illud *quo is satisf.*, quod antiquiores afferunt, haud

dubie scripturam antiquam *ne quoi satisfaceret* indicat quod iam Bengelius acute vidit et ita recte edidit. BENEDICT.

excanduit. Antiquissimus ille Medic. Codex *scanduit* habet pro *excanduit;* quod si compositum verbum in usu est, non est mirandum quandoque simplex, etsi rarius inveniatur, a Coelio praesertim, usurpatum fuisse. VICTORIUS.

—— —— Gruterus edit *canduit*, sed istum ἀρχαϊσμὸν affectasse Coelium, quis credat, ut pridem obsoletam vocem in usum voluerit revocare? GRAEVIUS.

eum consectarer. Pro *insectarer:* analogia patitur: exempla sunt rariora. Aliud vide in Clave [ad Att. II. 18. 1. *Fufium clamoribus et conviciis et sibilis consectantur.*] ERNESTI.

§. 3. *ut ulla lege mihi ponerent accusatorem. Ut subornarent accusatorem*, qui ulla lege me posset accusare. Pro *ponere accusatorem* Cicero dicit frequentius *apponere accusatorem*, ut V in Verrem [c. 41. 108.] *Apponitur his tamen accusator, Naevius Turpio quidam, qui, Caio Sacerdote praetore, iniuriarum damnatus est.* et IV in Verrem [c. 19. 40.] *Apponit de suis canibus quemdam, qui dicat, se Diodorum Melitensem rei capitalis reum facere velle.* — *Ponere* tamen in hoc sensu etiam accipitur in I Verr. [c. 29. 74.] *Accusator ponitur civis Romanus de creditoribus Lampsacenorum.* GRAEVIUS.

—— —— Usitatius *apponerent.* Sed et illud rectum. Vid. Clavis [Sull. 28. *Iudicem ponere.*] ERNESTI.

Pola locutus. Antea *praelocutus.* Ego, cum in antiquis libris viderem *Pole locutus*, legendum putavi *Pola elocutus.* Posset etiam *Polae locutus;* id est, vix Polae dixerat Appius, cupere se mihi accusatorem ponere. Nam et paulo ante [§. 2.] Coelius cum dandi casu idem verbum coniunxit: *amicis*, inquit, *locutus sum.* MANUT.

§. 4. *Scis Domitio diem timori esse.* Intelligunt *diem comitiorum*, quibus auguratum peteret, ex initio Ep. XIV. [h. Ed. XXII.] Sed sic *dies* absolute vix dicitur. ERN.

proinde. Pro *perinde:* quod saepe Terentius [Heaut. I. 2. 13. Phorm. II. 3. 35.] et Lucretius [III. 1048. 1066. IV. 998] usurparunt. MANUT.

EPIST. XXII.

Apte ad Ciceronis proconsulis personam et graviter exprimitur voluptas, qua caruit, sed paullo gravius et magnificentius quam pro re. Contra frigidum et humile: *nunquam tibi oculi doluissent*, pro: certe iucundum spectaculum habuissent. Similis litotis per negationem est Ep. IV. §. 2. [h. Ed. V. §. 1.] WEISKE.

§. 1. *tibi oculi doluissent.* Sic apud Terentium in Phorm. V. 8. 63. *Vin' primum hodie facere, quod ego gaudeam, Nausistrata, et quod tuo viro oculi doleant?* MANUT.

studia ex partium sensu. Idem dicatur, sed magis ex usu linguae, si invertas: *sensus ex partium studiis.* WEISKE.

perpauci necessitudinem secuti officium praestiterunt. Officium, inquit, *perpauci praestiterunt: amicitiae habita ratio est.* Verum hoc ita Coelius implicavit, ut ex ipsis non facile verbis exprimatur. Nam *necessitudinem secuti* non est unde pendeat, nisi referatur ad *perpauci.* Quod si sit, perpauci videbuntur necessitudinem secuti: cum tamen contraria sit sententia. Constat enim dici, perpaucos officium praestitisse, quia plerique necessitudinem secuti sint. MANUT.

gavisos homines suum dolorem. Epist. 2. [§. 1.] dixit, *gaudium gauderemus.* MANUT.

quod iudicium cet. Lego librorum antiquorum auctoritate: *quod iudicium non exspectatione inest etiam in bona spe.* Quorum verborum sensus est: illud iudicium nunc quoque est in bona spe, fore, ut simile Sex. Peducaei iudicio evadat, quamquam hoc nemo antea exspectabat de illo Cn. Saturnino, Antonii quidem studioso homine sed valde invidioso. Iterum loquendi brevitas, Coelio consueta, obscuritatem peperit. Nam alii forte pluribus scripsissent: *sine ulla hominum exspectatione*, aut simili modo hanc sententiam clarius expressissent. BENEDICT.

§. 2. *Sic illi amores* cet. Perquam pulchrum epi-

phonema; nam ironia suavi, et exquisitis verbis ostenditur, quam nulla aut certe infida sit ambitiosorum amicitia. WEISKE.

ad bellum se erumpit. *Erumpit* et *erumpit se*, veteres dicebant. Caesar de B. Civ. II. 14. *portis se foras erumpunt.* Virgilius Georg. I. 445. *Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese Diversi erumpent radii.* Et ibid. IV. 368. *Et caput, unde altus primum se erumpit Enipeus.* Et Aen. III. 572. *Interdumque atram prorumpit ad aethera nubem.* Lucretius IV. 1108. *Tandem ubi se erupit nervis coniecta cupido, Parva fit ardoris violenti pausa parumper.* Attius Epigono, apud Nonium: *Imperitus stupiditate erumpit se, impos consilii.* -- Sic *emergit*, et *emergit se* probavit antiqua consuetudo. Cicero de Harusp. resp. c. 25. *Iam ista serpens, quae tum hic delitescit, tum se emergit et fertur illuc, compressa atque elisa morietur.* Nepos in Attici vita c. 11. *Quibus ex malis ut se emersit.* MANUT.

—— —— Sic et alii, nec modo poetae, ut Liv. XXXVI. 7. Vide plura apud Drakenb. ad Silium VII. 355. ERNESTI.

quod consilium capiam. Correxi *consilium* pro *consilii*, ex ed. 1471. nam *quod consilii*, ut est in vulgg. dici non potest. MS. Gu. ed. Med. *quid consilii*, sed ei non aptum est *rerum mearum.* ERNESTI.

—— —— Cum aliis etiam Dr. I. II. III. Torg. hanc lectionem confirmant atque eam esse veram puto hac parva tamen mutatione, ut legatur *quid consilii.* Ernesti autem edidit ex ed. 1471. *quod consilium*, sicut quoque in Dr. V. et Asc. 1. reperi; quia antecedat *rerum mearum.* Me tamen in Coelii verbis duplex ille generandi casus minus offendit. BENEDICT.

quod non dubito. Modus loquendi, parum fortasse animadversus, nam *quod* valet *sed;* ut L. XIV. ep. 4. *Quod utinam minus vitae cupidi fuissemus!* Et Phil. X. 4. *Quod, qui ab illo abducit exercitum, et respectum pulcherrimum, et praesidium firmissimum adimit reipublicae.* Et Caesar de B. Civ. II. 16. *Quod ubi hostes viderunt ea.* Et III. 68. *Quod cum esset animadversum, coniunctam esse flumini.* Varro L. VI. de Ling. Lat. 2. *Quod cum dicunt conspicionem, ad-*

dunt cortumionem. Livius XLI. 10. *Quod cum milites consulis imperio dicto audientes futuros sese dicerent, cum is more maiorum, secundum vota in Capitolio nuncupata, cum lictoribus, paludatus profectus ab urbe esset.* Plinius XVIII. 23. *Quod ut hanc quoque curam determinemus.* Manut.

Nam mihi cum hominibus -- odi. Aliter quaedam libri afferunt. Primo non scribunt *necessitudo est*, sed *necessitudine;* non habent *tum causam*, sed *cum causam;* neque afferunt *non homines odi*, sed *unde homines odi.* Neque triplicem illam lectionis varietatem reiiciendam censeo. Quod enim lectionem *mihi cum hominibus et gratia et necessitudine* attinet, Coelius eiusmodi ablativis sine additamento positis delectari videtur. Praeter alia loca tantum haec pauca afferam: Ep. XV. §. 2. [h. Ed. XXIII. 1.] *qui durissimis et frigidissimis locis, teterrima hieme, bellum ambulando confecerunt.* Ep. XVI. §. 6. [h. Ed. XXIV. 4.] *nunc te contra victorem facere, quem dubiis rebus laedere noluisti.* Ep. X. §. 9. [h. Ed. XI. 5.] *Novis magistratibus autem, si Parthicum bellum erit.* Ep. VIII. §. 12. [h. Ed. VIII. 4.] *omnino multis diebus, exspectatione Galliarum, actum nihil est.* Eodem modo in Ep. XIII. §. 2. [h. Ed. XVIII. 2.] librorum consensu emendabam: *Nam cum intercessione referretur.* Et in nostrae Epistolae §. 4. [h. Ed. §. 1. *f.*] *quod iudicium non exspectatione inest etiam in bona spe.* Itaque non dubitaverim recipere illud *necessitudine.* Porro verba *unde homines odi*, quae libri scripti tuentur, si interrogationem involvunt, quam, ut saepe alias, negatio proprie sequi deberet, etiam optime locum habent. Mutata igitur lectio huius loci erit: *Nam mihi cum hominibus his et gratia et necessitudine; cum causam illam, unde homines odi?* Benedict.

§. 3. *Illud te non arbitror fugere.* Inepte! quasi historicum sit. Melius certe dixeris *dubitare* pro *fugere.* De re ipsa non multum attinet disputare. Temere tamen ista effudisse auctor videtur. Potuit ille quidem pro sua sententia hoc afferre, si bene exploratum habeas, utra pars firmior sit, frustra te ad honestiorem partem ire. Sed

an non hoc idem in civili contentione pacis tempore valet? Et quid tandem homini *exploratum* est? quam mutabiles hominum voluntates! quam incerti bellorum exitus! WEISKE.

quamdiu civiliter sine armis cernetur. Elegantissimam lectionem et Coeliana eruditione dignissimam eruit accuratissimus Victorius, quam eo libentius admisi, quod eam propugnent excerpta Vaticani. Ad gustum fatuae plebis excusum erat *certetur.* [*Cernere* enim est, dimicare, certare. Virgil. Aen. XII. 709. *Inter se coiisse viros et cernere ferro.* Sallust. Catil. LIX. *Contra latrones inermes pro patria, pro liberis, pro aris atque focis suis cernere.* Varro: *Nonne vides apud Ennium esse scriptum: ter sub armis malim vitam cernere, quam semel parere.* GRAEV.] GEBHARD.

— — *Sine armis* haud dubie est glossa verbi *civiliter. Cernetur* est a Victorio, (sic et Gu.) pro vetere *certetur:* qua verbum cernendi, bene: sed qua formam, vitiose. Debebat enim esse *cernatur.* Itaque *certetur* servavi, quod omnes alii libri habent. ERNEST.

ad eligendam partem. Praestat scriptura veteris codicis, quo Lambinus usus est, ut eius editionis margines testantur, *ad eligendas partes. Partium dux* apud Florum. Res trita. GRAEVIUS.

— — Sic MS. Gu. Graevius e MS. Lambini *eligendas partes.* Etiam infra Ep. XVII. [h. Ed. XXVI. §. 1.] *partem* sic dixit Coelius. ERNEST.

§. 4. *persuasum est ei — aperit.* Allegoria obscurior, neque probanda, nisi forte a proverbio ducta est. Valde tamen vituperare non audeo, quia etiam probatissimi scriptores Britanni allegoricas argutias huius generis consectantur, idque in fabulis, epistolis etc. nostrique valde et probant et imitantur. WEISKE.

§. 6. *Ad summam. In summa,* prout Plinius [Epist. I. 12. 12. VI. 21. 7. IX. 21. 1.] proferre solet. Conf. notata ad L. VII. Ep. 23. n. 3. Formula Petroniana Sat. c. 31. *Ad summam, statim scietis cui dederitis beneficium.* Vide ibi Burmannum. CORTIUS.

— — Malim adiectum *reip. ut redeam;* vel dictum: *ut illuc revertar.* WEISKE.

magnum et iucundum spectaculum. Nullum inter cives iucundum bono viro certamen esse potest, vel si sine periculo sit. Sed loquitur Coelius ex ingenio suo. MANUT.

EPIST. XXIII.

Totius epistolae color hilaritatem praebet, quod in re tam misera — cum scripta haec sint ad hominem Pompeianarum partium — valde inhumanum est, ut dici possit: ecquando tu hominem Coelio ineptiorem? Animi alacritas, quae illam hilaritatem spirat, argutias dedit alienas quidem a naturali orationis aequabiliter fluentis pulchritudine, sed in alia caussa et persona non repudiandas. Vid. v. g. Q. Cicer. Ep. II. [ad Fam. XVI. 16.] WEISKE.

§. 1. *in victoria temperatiorem.* Proclive erat corrigere *temperantiorem:* sed et haec forma bona est; in Verr. IV. 43. est *homo temperatissimus.* ERNESTI.

§. 3. *discupio. Vehementer cupio.* Plautinum verbum [Trin. IV. 2. 87.] quo etiam Catullus [CVI. 2.] usus est. MANUT.

—— —— *Valde cupio,* uti Terentius [Ad. IV. 4. 1.] *discrucior;* [Phorm. V. 8. 22.] *distaedet;* [Eunuch. V. 1. 16.] *dispudet,* et similia. CORTIUS.

—— —— *Discupere, heftig wünschen,* ist ein gemeines, seltnes Wort, welches im Alt-Lateinischen bei den Komikern, bei Catull, und nur einmal Klassisch bei Coelius (Cic. Fam. VIII. 15.) vorkommt, der im Ausdrück eben nicht elegant ist. Man vermeide es in edler Rede durchaus, und sage dafür *vehementer cupere;* in Briefen aber ist es nicht ganz zu verwerfen. KREBS.

§. 4. *ad Alpes versus.* Ita veteres loquebantur. Caesar de B. Gall. VI. 33. *T. Labienum cum legionibus tribus ad Oceanum versus proficisci iubet.* Sallustius Iug. 58. *animadvertit, fugam ad se versum fieri.* Hirtius de B. Afric. 8. *ad Cercinam insulam versus.* Livius I. 18. *In lapide ad meridiem versus consedit.* Festus [v. Septimontio]: *Eam partem Esquiliarum, quae iacet ad Vicum patricium versus.* MANUT.

nobilem illic Caesaris hospitem. Secutus sum libros vulgatos, a quibus non discrepant nostri Manuscr. uno atque altero excepto, in quo scriptum est *nobilem illi Caesaris hosp.* quam scripturam quidam amplectuntur, ut *illi* positum intelligamus pro *illic.* Ego autem minus probo, arbitrorque in adverbio *illic c* fuisse omissum ab errante librario, propter vocem sequentem, ab eadem littera initium capientem. Siquis tamen *illi* contendet esse legendum, non magnopere pugnabo. Non desunt enim innumerabilia exempla. Sic Terentius Phormione [I. 2. 41.] *Interea dum sedemus illi* etc. Et Lucret. I. 1064. *Illi cum videant* etc. ad quem locum hac de re plura. Lambinus.

—— —— *Illic* recepi pro *illi*, quod est antiquarii. Ed. Med. *ibi.* Rom. *illic.* MS. Gu. *ibi.* Ernesti.

—— —— Ernesti quidem emendavit: *nobilem illic Caesaris hospitem.* Sed libri antiqui magno consensu scribunt *nobilem illi:* quod, licet antiquum sit scribendi genus, eo magis est Coelio dignum. Benedict.

usquequaque, inquis cet. Invito Ciceroni hoc obtruditur, quod melius e sua persona Coelius dixerit. Aptius ita: *Usquequaque, inquis, in bello patientem et strenuum esse decet. Recte; sed usquequaque Domitii* cet. Weiske.

se Domitii mali dant. Videtur significare: *Domitii omnes male se habent;* quoniam et Domitius Ahenobarbus paullo ante Corfinii captus erat a Caesare. Sed hoc loquendi genus, *se Domitii mali dant*, inusitatum et asperum est. Manut.

—— —— *Male se dare,* uti Terentius [Eun. II. 1. 24.] *turpiter se dare.* Cortius.

—— —— Corrigam *malum:* i. e. infelices sunt, magnis malis afficiuntur; nempe paullo ante Domitius Corfinii erat captus. *Malum dare* saepe apud Comicos. Ernesti.

EPIST. XXIV.

In hac epistola ita sui dissimilis est auctor, ut fere alius Coelius videatur, et plane oratorem agnoscas Ciceronis aetate dignum. Gravissimo verbo *exanimatus*, quod primum ponit, summum exprimit terrorem, facitque, ut ex animo scripsisse, non studio excogitasse ea putetur, quibus Ciceronem a proposito deterrere vult. Ita quodammodo oratio fit probabilis, ante quam ad rem veniatur. Res autem vertitur tribus argumentis. 1) *Atrox et saevus erit Caesar in conditionibus ferendis.* Hoc quomodo ad caussam pertineat, non obscurum quidem est, clarius tamen enuntiavit auctor, quam nos §. 2. legimus, quod oratio concisa et male cohaerentibus sententiis subsultans facile declarat. 2) *Te ad Pompeianos profecto, nos Caesaris caussam odisse aut relinquere, aut impiam c. -- habere cogemur.* 3) *Nunc te -- stultitiae est.* Prior huius argumenti sententia (§. 4. init.) et obscura et inconcinna est. Malim ita dictum: *Denique illud cogita, fortasse prudentis fuisse, cum dubia esset fortuna, eum non laedere, quem vinci tamen volueris; ad eos non accedere, quos victores fore non speraveris: nunc vero te contra -- nolueris.* Verba *summae stultitiae est* neque prudenter neque humaniter addita: orationem etiam deteriorem faciunt; etsi inhumaniter dicta magis nostris videantur. Romanorum enim gravitas in summa etiam urbanitate candorem quendam servabat, quem non natura, sed nostra aetas iusto mollior respuit. Reliqua brevitatis studio mittimus.

Ceterum utile erit Caesaris epistolam VI. [ad Att. X. 8.] cum hac Coelii comparare. Nobis haec quidem diligentius et magis oratorie scripta, sed illa tamen naturali habitu epistolae magis decora, nec minus gravis ad commovendum videtur. Inferior utraque est Dolabellae epistola [ad Fam. IX. 9.] Weiske.

§. 1. *per liberos oro.* Valida ista obtestatio. Terent. Andr. III. 3. 7. *oro Perque unicam gnatam tuam et gnatum*

meum. Plura ad ea Sallust. Cat. c. XXXV. *per liberos tuos rogatus.* Cortius.

§. 3. *ut eam causam. Causam Caesaris.* Verum in hoc verborum ambitu desiderari aliquid videtur. Sed Coelius rationes persequitur, verborum structuram non attendit. Manut.

in cuius victoria. Dr. I. III. Torgav. legunt *in quoius victoria.* Neque dubitaverim hanc lectionem ut meliorem recipere, quia Coelius etiam aliis locis illo more antiquo locutus est. Benedict.

§. 4. *dum pudet te parum optimatem esse.* Dr. III. et Asc. 1. cum aliis multis scribunt: *te parum adoptatum esse.* Torgav. *ad optatum esse.* Dr. II. et V. *parum adoptati inesse.* Dr. I. *parum adoptati esse.* Victorii libri *parum adoptatim esse.* Victorius iam suspicatus est, non genuinam esse huius loci lectionem, ut vulgo editur. Forte Coelius scripserat: *dum pudet te parum ad optatum esse.* Nempe Coelius in antecedentibus suaserat Ciceroni, ut ad partes Caesaris transiret, et omnis generis argumenta eo consilio collegerat. Iam in his verbis novum afferre argumentum videtur, ut Cicero caveat, ne cum pudeat eum praeter spem atque voluntatem Pompeii ad Caesaris partes transiisse, parum diligenter eligat optimum. Dictio Coeliana: *ad optatum esse* pro illa: *optatis et votis alicuius respondere*, potest contraria locutione: *praeter optatum accidere*, seu simili illa: *in optatis esse*, sive hac: *ad votum fortuna fluit*, illustrari. Benedict.

optimatem. Unum ex iis, qui se credi volunt optimos cives et praestantiores ceteris, qui populares habentur. Rarissime ita haec vox in singulari occurrit. Oudendorp.

EPIST. XXVI.

Foede depravata, et quibusdam in locis fere ad nihilum redacta epistola. Ubi manifesta lacuna est, posui lineolam transversam. Neque tamen dubito, quin pluribus locis nonnulla desint.



Vix suspicari, nedum existimare licet de huius epistolae reliquiis. Dixit auctor, quantum coniecimus, unam Pompeianis, neque incertam spem esse victoriae, ut ad urbem ipsam accederent, neque in Graecia praelium committendum exspectarent. Cum in eo caput epistolae fuerit, quis neget, hanc caussam non ieiune, sed plane non actam esse. Wieske.

§. 1. *Quod utinam.* Summi interpretes de huius loci corruptione conquesti sunt. Nam libri antiqui magno consensu legunt: *aut Appius.* Optimam expediendi huius loci rationem Bengelius, vir summus, iniisse mihi videtur. Verba enim: *aut Appius — parte* uncis includenda curavit, quia in parenthesi sint posita et duorum virorum, Appii tanquam inimici, et Curionis tanquam familiaris memoria ita Coelii dubiae menti obversata sit, ut utrumque simul fere, ad hanc inconstantiam se instigantes, commemoraret. Edidit enim: *quod utinam (aut Appius Claudius in ista parte) C. Curio.* In tanta animi anxietate, quae tunc temporis Coelium vexabat, ita cogitandi scribendique confusio facile locum habuit; quam loquendi brevitas, Coelio propria, magis augebat. Indicare autem voluit: *Utinam Curio, ut tu fecisti, ad Pompeium profectus esset,* aut Appius Claudius in ista parte mihi nunc invisa versari maluisset, Caesarem, non autem Pompeium secutus. Benedict.

amicitia me in hanc perditam causam imposuit. Imponere in causam nemo Romanus dixerit. Depravatum hoc est, aut ad alia omissa pertinuit. Wieske.

Tum tu porro. Dr. I. II. V. Torgav. cum Mediceo, Petri Pagani libro aliisque legunt: *Tu, tu porro;* quam lectionem Bengelius recte praetulit. Nam illa epizeuxis, quae dicitur, etiam in scriptis Ciceronis non raro occurrit, et h. l. vim singularem exerit. Praeterea plane abundaret illud *tum,* quia statim addit *porro.* Benedict.

— — *Sed et tu praeterea.* Et haec indignantis sunt, ut Terent. Andr. I. 5. 42. *Adeone me ignavum putas? Adeone porro ingratum?* Oudend.

§. 2. *nec homo nec ordo.* Latius patet *homo,* quam

ordo. Itaque satis erat *homo*: aut dicendum fuit *nec ordo nec homo.* Sed excusat Coelium iracundia, qua perturbatus haec scripsit. MANUT.

—— —— Quia *nec homo* latius patet, quam *nec ordo*, rectius foret *nec ordo, nec homo*, i. e. non modo nullus ordo populi favet Caesari, sed ne ullus quidem in ullo ordine homo. Turbatum stili ordinem confert Manutius in iram, qua Coelii mens fuerit commota et perturbata. OUDEND.

Vos dormitis. Segnes et otiosi fere desidetis ac languide agitis. Terent. Heaut. IV. 4. 8. *Dormiunt: ego pol istos commovebo.* Idem Adelph. IV. 5. 59. *Quid credebas? dormienti haec tibi confecturos deos?* Idem Phorm. V. 8. 18. *Et inde filiam Suscepit iam unam, dum tu dormis.* OUDEND.

consuerunt. Parvi refert utrum *consuerunt*, an, ut est in tribus antiquis libris, *consueverunt* legatur. Coelianum potius videtur *consuerunt.* Amat enim Coelius, ut in sententiis brevitatem, sic in verbis contractionem; itaque Ep. XI. [h. Ed. XVII. 2.] *decrerat supplicationes* maluit, quam *decreverat.* MANUT.

COLLATIONES
CODICUM MANUSCRIPTORUM
QUINQUE LEIDENSIUM
UNIUS AMSTELODAMENSIS
ET
ALIQUOT EDITIONUM VETERUM.

